DISSERTATIO JURIS PUBLICI INAUGURALIS DE SPLENDORE FAMILIARUM...

Ernst Wilhelm Strecker, Valenti Gonzaga

Digitized by Google

Digitized by Google

REVERENDISSIMO
AC
ILLVSTRISSIMO DOMINO,

DN. ANSELMO FRANCISCO ERNESTO L. B. DE WARSBERG,

METROPOLITANARVM ECCLESIARVM, MOGVNTINÆ ET TREVIRENSIS, ITEMQVE EPISCOPALIS SPIRENSIS RESPECTIVE PRÆPOSITO, SVPREMO CHORI-EPISCOPO, ET CANONICO CAPITVLARI,

EMINENTISSIMI AC CELSISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIARIO INTIMO,
ET
CIVITATIS TERRITORIIQVE ERFORDIENSIS PRO-PRINCIPI,

DOMINO AC MÆCENATI SVO
GRATIOSISSIMO.

Digitized by Google

REVERENDISSIME

AC

ILLVSTRISSIME

PRO-PRINCEPS,

DOMINE DOMINE

GRATIOSISSIME!

Veniam dabis, REVERENDISSIME AC ILLVSTRISSIME DOMINE PRO-PRINCEPS, quod Illuſtriſſimum NOMEN TVVM ipsâ in fronte Exercitationis hujus Academicæ refulgeat, ex quo hactenùs & mihi & qualibuscunque etiam Muſis, ac conatibus meis validiſſimum promiſſi patroci-

Digitized by Google

trocinium: nec audaciæ ſed devotiſſimæ reverentiæ tribuas velim, quod haſce meditationes inaugurales TIBI, qui Reipublicæ Civitatisque gubernacula tenes, & proinde curam noſtræ noſtrorumque Salutis, incolumitatis, tranquillitatis, conditionis & incrementi ſuſcipis providentiſſimam, omni debitâ obſervantiâ offeram atque conſecrem. Erubeſcerem ſane aſſiduas, gravisſimasque curas, quas cum perpetuâ NOMINIS TVI Gloriâ, pro Reipublicæ verâ ſalute, promovendisque ejusdem commodis geris, interpellare, & huncce tenuem & exiguum ingenii mei fœtum TIBI adſcribere, niſi ſingularis TVA, erga liberalium artium cultores benevolentia, ſummusque favor animum addidiſſet, deſiderium excitaſſet. Non equidem ignoro majores ſolere, ac debere ad Benignitatis TVÆ Aram offerri ho-

)(3 ſtias;

Digitized by Google

ſtias; at quis ingentem, quam virtutibus non ſolùm eximiis, ſed Prudentiâ etiam ac Scientiâ verè incomparabili conſecutus es, Gloriam? quis indefeſſas, quibus per omne Regiminis TVI tempus pro ſalute Reipublicæ noſtræ invigilaſti, & adhuc indeſinenter invigilas, curas, cogitationes & labores? quis denique Illuſtriſſimi NOMINIS TVI Splendorem, quem propter meritorum TVORVM magnitudinem nulla unquam obſcurabit oblivio, digno ſatis ore aſſequi poterit? mihi privatæ tantummodò pietatis legem adimplere conſilium eſt; quapropter TIBI, REVERENDISSIME AC ILLVSTRISSIME DOMINE PRO-PRINCEPS, quem inter DEOS TVTELARES MEOS TERRESTRES religiosè colo, TVOque NOMINI paginas haſce conſecrare, ipſa obſtrictiſſimæ ac devotiſſimæ mentis pietas commendat, præcipit.

Digna-

Dignare igitur, REVERENDISSIME AC ILLVSTRISSIME DOMINE PRO-PRINCEPS, exiguum iſthoc Laborum meorum Juridico - Academicorum documentum, quod ad pedes TVOS devolvo, benignis manibus accipere, meosque qualescunque conatus propitiâ fronte intueri. Hæc TE gratioſisſimè præſtiturum, ſumma mihi perſuadet Clementia ac Benevolentia, quâ TE eminentiori quodammodo gradu pollere, perſpectiſſimum habeo. Proinde Deum, quamdiu fuero, venerabor immortalem, ut non ſolùm TE, REVERENDISSIMVM AC ILLVSTRISSIMVM DOMINVM PRO-PRINCIPEM, Patriæ noſtræ Gubernatorem vigilantisſimum, ſalvum, incolumem, vigentem, florentem, ac omni felicitatis copiâ beatum, per Neſtoreos annos, in Reipublicæ noſtræ commune commodum, ſervet ac tuea-

Digitized by Google

tueatur, ſed etiam, ut antiquisſima & illuſtrisſima, ex quâ ortum ducis, Familia immoriturâ gloriâ, proſperitate & bonis omnibus exſplendeſcat, augeatur, floreat, perennet in omne ævum: Id quod inſuper devotisſimâ mente voveo.

REVERENDISSIME
AC
ILLVSTRISSIME
PRO-PRINCEPS,
DOMINE DOMINE
GRATIOSISSIME,
REVERENDISSIMI AC ILLVSTRISSIMI
NOMINIS TVI

Erfordiæ d. 6. Martii,
1747.

Clientum infimus
ERNESTVS WILHELMVS STRECKER,
Erfordienſis.

Digitized by Google

CONSPECTUS DISSERTATIONIS.

§. I. *Commendatio Familiarum illuſtrium à neceſſitate ac utilitate in Republica.*

§. II. *Splendoris ſignificatio.*

§. III. *Familiæ etymologia.*

§. IV. *Notatio vocabuli Illuſtris.*

§. V. *Autoritas Tituli Illuſtris, tàm antiqua, quàm hodierna.*

§. VI. *Nobilitas in ſuperiorem & inferiorem diſpeſcitur.*

§. VII. *Nobilitas alia naturalis. alia civilis.*

§. VIII. *Nobilitas civilis pro populorum inſtitutis variat: alia Togæ, alia Sagi eſt.*

§. IX. *Nobilitas alia antiquior, alia recentior: eaque vel intuitu officii, vel ob inſignia merita acquiſita.*

§. X. *Nobilitas antiquior an præferenda ſit nobilitati recentiori?*

§. XI. *Ulteriùs nobilitas in mediatam & immediatam dividitur.*

§. XII. *Tranſitio ad ſplendorem Familiarum illuſtrium conſervandum*

§. XIII. *Per ſanguinis illuſtris propagationem.*

§. XIV. *Per jus Primogenituræ laudabiliter introductum atque introducendum.*

§. XV. *Juris Primogenituræ definitio ac indoles.*

§. XVI. *Hoc jus ſolummodo inter nobiles ac illuſtres Familias locum habet.*

A §. XVII.

Digitized by Google

§. XVII. Primogenitura primùm in Electoratibus lege publicâ Aurea Bulla ſtabilita: poſtea quoque alias inter Familias illuſtres ſive pacto, ſive tabulis teſtamenti introducta.

§. XVIII. Ea etiam conſuetudine rectè introducitur.

§. XIX. Primogenitus ſolus ſuccedit in territorium cum omnibus juribus & acceſſionibus. Jura Territorii æquè ac Acceſſiones exponuntur.

§. XX. In quantùm Primogenitus juri pro ſe introducto renunciare poſſit?

§. XXI. Cæteris fratribus ſolo jure Primogenituræ excluſis ſuppeditatur Apanagium.

§. XXII. Vocis Apanagii ſignificatus, ejusque definitio.

§. XXIII. Apanagium aliud eſt proprium, ejus natura, quantitas ac determinatio: Undenam & ex quibus bonis illud à Primogenito Apanagiatis præſtandum?

§. XXIV. Aliud eſt improprium, aliàs Paragium dictum, quid juris Apanagiati in prædiis ſibi aſſignatis habeant? an Regalia? an Jurisdictionem? an Superioritatem Territorialem conſequantur?

§. XXV. An iisdem, ac Primogenitus, Titulis ac inſignibus gaudeant? an Titulo von Gottes Gnaden *utantur? an Statuum Imperii numero accenſeantur?*

§. XXVI. Jus Majoratûs in quantùm differat à jure Primogenituræ?

§. XXVII. Ejusdem definitio; quis Major in Familia dicendus ſit?

§. XXVIII. Fideicommiſſa Familiæ: præcipuus eorum effectus quis?

§. XXIX. Quænam ſuccedendi ratio in illis ſit habenda?

§. XXX. An Edictum ſucceſſorium in ordine ſucceſſionis obſervandum ſit? an Primogenitus, vel Senior de Familia in illis ſuccedat?

§. XXXI. Pacta Familiarum ſucceſſoria an valida ſint contra jus Romanum?

§. XXXII.

Digitized by Google

§. XXXII. *Pactum Confraternitatis; Ejus definitio, ac diviſio in Univerſale & Particulare: bilaterale & unilaterale.*

§. XXXIII. *Finis harum Confraternitatum, objectum & jus utrorumque paciſcentium ex ejusmodi pactis quaſitum.*

§. XXXIV. *Pactum Ganerbinatus; ejusdem definitio, notatio, indoles atque origo.*

§. XXXV. *Finis horum pactorum alius eſt primarius, alius ſecundarius: uterque ad conſervationem Familiarum illuſtrium tendit. Sequuntur eorum effectus ac exempla.*

§. XXXVI. *Pacta Conjugum, eorum definitio, ac diviſio.*

§. XXXVII. *Uniones Prolium, earumque deſcriptio: an ejusmodi Unio reſcindenda, ſi ex altero matrimonio nulli liberi naſcantur?*

§. XXXVIII. *Pacta quædam renunciativa tàm fœminarum illuſtrium, quàm maſculorum: harum renunciationum finis ac validitas: an juramentum in his neceſſarium? illuſtratur aſſertum exemplo Filiarum nobilium Ordinis Equeſtris in Suevia, Franconia & ad Tractum Rheni, in favorem maſculinæ ſtirpis renunciantia?*

§. XXXIX. *Beneficia Eccleſiaſtica ſeu Canonicatus. Familiarum illuſtrium prærogativa præ reliquis in obtinendis Præbendis, Canonicatibus, ac ſublimioribus Beneficiis Eccleſiaſticis? quid requiratur hodie, ut quis ad Eccleſias quasdam Metropolitanas recipi poſſit?*

§. XL. *Refellitur ſententia Monzambani, qui Beneficia Eccleſiaſtica Familiis illuſtribus percipienda penitùs denegat.*

§. XLI. *Sequuntur Fœminarum quoque illuſtrium Jura ac Privilegia ab antiquo uſitata; ac*

§. XLII. *Primò quidem Dos è Territorio: Congruitas dotis quomodo æſtimetur? an ex feudis præſtari debeat? an Filiæ ſucceſſioni, aliàs ſibi debitæ, renuncianti dotis petitio nihilominus ſalva maneat? an & ipſi Doti renunciari poſſit?*

§. XLIII. *Secundò Donatio propter nuptias: quid Fœmina ex ea donatione acquirat? an doti æqualem conſtitui neceſſe ſit? an eadem ab uſu receſſerit? an & quando fœmina ex pacto lucretur donationem propter nuptias?*

§. XLIV. *Tertiò Morgengaba, ejusque deſcriptio; quando, quo tempore, cui & à quo ea debeatur? quidque juris in ea habeat fœmina.*

§. XLV. *Quartò Dotalitium ejus deſcriptio, ac unde conſtituatur? an etiam in prædiis feudalibus? quando debeatur uxori? an agnati feudorum ſucceſſores ad id teneantur?*

§. XLVI. *Mulieri Viduæ competit electio an dotalitium petere, an dotem illatam repetere velit. Dotalitium in compenſationem dotis conſtitutum, ejusque jura à natura uſusfructus dependent. An vidua illuſtris cautione uſufructuariâ teneatur? Quidſi vidua ad ſecunda vota tranſeat, an dotalitium retineat? numve illi dos reddatur, itaque dotalitium quaſi redimatur?*

§. XLVII. *Concluſio.*

Digitized by Google

I. N. D. N. J. C.

DISSERTATIONIS JVRIS PVBLICI INAVGVRALIS

DE

SPLENDORE FAMILIARUM ILLVSTRIVM CONSERVANDO

§. I.

Adeò inſignis eſt Familiarum Illuſtrium in Republica Splendor, ut iis tanquàm columnis boni publici ratio maximâ ex parte nitatur, roberetur, ſuſtentetur. VULTEJ. *vol. 4. Conſil. Marpurg. 30. n. 119.* Sunt enim Familiæ Illuſtres non tantùm flores ſubditorum, rerumque publicarum ſeminaria & veluti rudimenta, BODIN. *de Repub c. 2. in pr.* ſed & Magiſtratuum præſidia, fulcra & ſuſtentacula Reipublicæ, totiusquè ferè Germaniæ propugnacula firmiſſima, *arg.* A. B. *tit. 3. verb. quorum præſidio dextra Imperialis roboratur.* Hinc quoque Reipublicæ quàm maximè intereſt, ut Familiarum illuſtrium ſplendor ac gloria ſuo in vigore, ac exiſtimatione conſervetur, promo-

385

Digitized by Google

promoveatur, ac magis magisque effloreſcat, *l. 1. §. 13. ff. de vent. inſp. l. 9. C. de quæſt.* FÖRSTER *de ſucceſſ. l. 3. c. 4. n. 20.* ne his columnis ad tenuitatem redactis, aut remotis planè fulcris totum Reipublicæ ædificium lædatur, aut collabatur. Et de hoc Familiarum Illuſtrium ſplendore omnimodo conſervando in ſequentibus agemus.

§. II.

Cum verò in omni tractatu prior verborum ſoleat haberi ratio, *l. 1. ff. de reb. cred.* QVINTIL, *Inſt. Orat. lib. 8.* verba enim rebus, non res verbis deſervire debent: GAIL. *1. Obſ. 150. n. 6.* itaque, antequàm ipſi rei tractandæ accingamur, prius etymologia ſeu vocum ſignificatio brevibus excutienda, quibus intellectis reliqua faciliùs patebunt. Per ſplendorem autem nihil aliud innuimus, quàm dignitatem, honorem, decus ac præeminentiam Familiarum illuſtrium in Republica præ aliis ſplendentium; & ab his non longè abeſt, quod ſcribit TVLLIVS adverſus Saluſtium: *Ego meis majoribus virtute meâ præluxi*, *ut ſi priùs noti non fuerint, â me incipiant initium memoriæ ſuæ: Tu tuis vita, quam turpiter egiſti, magnas obfudiſti tenebras, ut etiam ſi fuerint egregii cives, certè venerint in oblivionem.*

§. III.

Familia in jure noſtro Civili ſumitur pro ſtatu hominum, *l. ult. ff. de capit. min.* & deducitur vel in res, & ſignificat ſubſtantiam & hæreditatem bonorum, *l. 195. §. 1. ff. de V. S. t. t. ff. famil. erciſc.* vel in perſonas, & defertur ad corporis domeſtici ſignificationem, ità ut in latiori ſenſu ſervi etiam in familia ſint. *l. 40. & d. l.* 195.

Digitized by Google

195. §. 2. ſeq. ff. de V. S. Nobis hic Familiæ vocabulum ſolummodò ſtat pro agnatis, de eodem ſanguine procedentibus, maſculis, item Agnationis nomen, ac inſignia eadem uſurpantibus, *die eines Stammes und Nahmens ſeyn, einerley Schild und Helm haben*, FORSTER *de ſucceſſ. ab inteſt. l. 3. c. 25. n. 1.* KNIPSCILD *de fidei-comm. fam nob. c. 1 à n. 22 usquè ad 47.* atque ita fœminas regulariter excludimus.

§. IV.

Vocabulum illuſtris quod attinet, illud idem eſſe, quod clarum, notum, ſplendidum ac nobile, & hæc vocabula promiſcuè apud Scriptores reperiri, refert TIRAQVELL. *de nobil c. 2 n. 17. & 18.* nam & utrumque, ſcil. illuſtre ac nobile, copulat ipſe Tullius in Verrem *act. 7. tam illuſtre*, inquiens, *& nobile municipium.* Huc ſpectat, quod *illuſtrare* pro nobilitare ponatur in *l. 1. C. de præpoſ. labor.* uti eam intelligunt DD. inter quos JASON *in l omnium C. qui teſt. fac. poſſ.* Et hinc nos quoque Illuſtres illos ſignificamus, qui ex antiquiſſimo populorum Germanicorum more Nobiles in ſpecie dicuntur, de quorum appellatione ac origine vid. BESOLD. *in theſaur. pract. lit. A. verb. Adel.* TIRAQ. *de nobilit. c. 2.*

§. V.

Illuſtris Titulus tantæ olim venerationis, tantique momenti fuit, ut non Galliarum duntaxat Regibus nihil ſit antiquiùs, PFEFFING. *ad Vitriar. tom. 1. lib. 1. tit. 4. §. 6. lit. a.)* ſed & initio hæc dignitas ſoli Principum ordini competierit, SPEC. SAX. *lib. 2. art. 42. & Lib. 3. art. 58. & paſſim* ALB. *tit. 5. 7. 8.* ac illi, quibus digni-

tas

286
Digitized by Google

tas Regalis vel feuda Regalia conceſſa fuère, illuſtres in ſpecie dicti fuerint. SPEC. SAX. *lib 3 art. 55. 57. 58. add. Diplomata* HENRICI VI. LVDOVICI IV. & CAROLI IV. IMP. IMP. ap. MEIBOM. *Rer. Germ tom. 3. fol. 207. ſeqq.* Si recentiora deſideramus, eundem Illuſtriſſimi titulum â Sacratiſſimo Imp. Joſepho Ducem de Marlborough ann. 1705. 15. Nov. obtinuiſſe, docet Diplomatis, quo Princeps Imperii declaratur, formula: *Nos Te --- prædicato Illuſtriſſimi ---- inſignivimus.* vid. *Neubeſtelter Agent von Haus aus: zweyte Fonction, dritte Depeche, §. 225. p. 192.* Sed diverſitatem temporum ſi ſpectemus, ſine dubio in his varios ambiguitatum gyros & formam deprehendimus haud unam: communiter enim hodie Comites, Barones (vel etiam Marchiones Galliæ, Hiſpaniæ, Italiæ, Aularumque purpurati) hoc gaudent charactere, PFEFFING. *ad Vitriar. l. c in f.* qui ante ſpectabilium, *vid. d. diplom.* HENRICI VI. aut nobilium nomine venêre. SPEC. SAX. *lib. 1. art. 3. §. 2.*

§. VI.

Quandoquidem, antiquiſſima Germaniæ inſtituta circa ſtatum hominum perpendamus, Nobiles, Ingenuos, Libertinos & Servos deprehendimus. TACITVS *de morib. Germ. c. 25.* Nobilitatis nomen Principum Comitumque initio proprium habitum, poſteà verò cum inferioris quoque claſſis nobilibus tribui cæpiſſet, diſtinctio inter Nobilitatem Superiorem, vulgo *der hohe Adel*, vid. *centum gravamina Nationis Germanicæ in Comitiis Noricis ann. 1522. exhibita §. 25.* & Inferiorem vulgò *der Niedere Adel*, exorta eſt. vid. SPANGENB.

Adels-

Digitized by Google

Adels-Spiegel lib. 5. c. 1. f. 31. Superiorem Nobilitatem conſtituunt Principes, Comites & Barones; Inferiorem verò Nobiles ſimpliciter ità dicti, qui communi nomine in jure feudali Milites vocantur. vid. PFEFFING. *ad Vitriar, tom. 2. lib. 1. tit 20. lit. b. & f.*

§. VII.

Nobilitas verò alia eſt Naturalis ſive Virtutis, vulgo *Tugend-Adel*, quo in ſenſu morali nobilem vocamus, qui re aliqua præcellit, & præcipuè qui virtute quadam inſignis eſt, quæ tamen nobilitas huc non ſpectat, quare & nemo, quantamcunquè etiam nobilitatem Naturalem ſeu Virtutis præſeferat, juribus & privilegiis Nobilibus aliàs competentibus gaudere poteſt. Alia Civilis, quæ peculiarem in Republica Ordinem conſtituit, vid. PFEFFING. *ad Vitriar. l.c. §. 7. lit. a.* & hæc propriè dicitur nobilitas, quâ præditi reliquis in republica pari cenſu non venientibus eminent, quibus tamen majori ſemper ornamento eſſe putamus, ſi & internâ iſtâ nobilitate ſplendeant, ob quam civilis hæc primùm exorta eſt.

§. VIII.

Hæc civilis Nobilitas pro populorum inſtitutis multifariam variat; omnibus quippe Gentibus in uſu fuit, ut nobilitatis ornamentis quosdam homines ob quasdam cauſas decorarent, ſuis tamen legibus vel inſtitutis: & hinc eſt, quod, cum inſtituta Gentium variè ſeſe habeant, nobilitas quoque variet. Apud nonnullos etiam pro diverſis nobilium ſtudiis in diverſas dividitur ſpecies, quemadmodum in Galliis nobilitatem Togæ & Sagi propriâ quamlibet laude concele-

Digitized by Google

brat TVRTVRET. *in oper. de nobilit. gentilit. lib. 2. cap. 3.* ubi, contentio inter ſagum & togam, utra ſplendidior nobilitatis origo, occurrit.

§. IX.

Porrò Nobilitas vel hereditaria eſt, ſive antiquior, vel de novo acquiſita, ſive recentior: eaque rurſus vel intuitu officii, vel ob inſignia merita. Nihil tamen diſcriminis inter antiquæ proſapiæ nobiles, recenterque creatos regulariter intercedit, niſi ubi ſumma civilis Poteſtas, vel approbata conſuetudo ad efferendum duntaxat nobilitatis ſplendorem & gloriam diſtinctionem aliquam faciant, qualis occurrit in Ludis equeſtribus, vel Eccleſiarum quarundam Metropolitanarum & Cathedralium Capitulis &c. ubi regulariter quatuor Proavi, vel octo, vel plures, tam paterni, quàm materni ſtemmatis, producendi veniunt. Cum vero hæc omnia juris tantummodo poſitivi autoritate nitantur, adeóque non immutabilia ſint, Superiorem abſolutâ poteſtate circa hoc diſpenſare poſſe, ità ut recens creatus nobilis æque ad equeſtres ludos & Capitula Cathedralia admittatur, ac octo vel ſedecim Proavorum ſuperbiens imaginibus, rationibus, utramquè paginam facientibus, adductis, refert PFEFFINGER *ad Vitriar. Tom. 2. lib. 1. tit. 20. §. 7. junct.* COCCEJ. *jur. pub. prud. cap. 23. §. 18.* SPRENGER. *de jur. pub. lib. 1. cap. 8. p. 46.* Quamvis ipſa Capitula Metropolitana & Cathedralia vi privilegiorum & ſtatutorum, autoritate publicâ confirmatorum, ejusmodi Diſpenſationibus ſeſe opponere, non ſine ratione ſemper ſoliti ſunt, & adhuc ſolent.

§. X.

Digitized by Google

§. X.

Antiquitas certe nobilem non facit, nobilitati licet non exiguo ornamento ac ſplendori ſit. Hinc ſi quæratur, utrius, anne illius qui ex genere, an vero hujus, qui ex propria virtute nobilitatur, major ſit dignitas ac ſplendor, placet illa communis Politicorum diſtinctio: Aut Nobiles genere imitantur Majorum virtutem, & hinc meritò illis, qui recens propter virtutem nobilitatem quæſiverunt, præferendos eſſe arbitramur, quippe qui non propria duntaxat virtute, ſed Majorum etiam claritate commendantur: BODIN. *3. de Repub. c. 8. p. 554. vers. & quidem duob.* ubi enim duo ſunt dignitate æquales, præfertur ille, qui meliori creatus eſt ſanguine. BALD. *in l. nemini C. de advocat. div. jud.* Aut Nobiles genere à parentum virtute deficiunt, genus ingenuum improbant, & fumoſis ſaltem Majorum tabulis delicias ſibi quærunt, & tunc recens virtus, quæ magis accedit ad principium verum & primum nobilitatis, in ſe laudabilior eſt, & magis ad Reipublicæ utilitatem confert, quàm ſola proavitæ & alienæ virtutis jactatio. Neque nobilitas parentum poteſt excludere filiorum tenebras. NEVIZAN. *in Sylv. Nupt. lib. 4 n. 133.* Juſta inſuper eſt animadverſio Caji Marii, facti Conſulis, in oratione adverſus nobilitatem veterem apud SALLVSTIVM, *cap. 85. Belli Jugurthini. p. m. 335. Contemnunt*, inquit, *novitatem meam, ego illorum ignaviam. Mihi fortuna, illis probra objectantur - - - quodſi jure deſpiciant me, faciant idem Majoribus ſuis, quibus, uti mihi, ex virtute nobilitas cœpit: invident honori meo, ergo invideant labori, innocentiæ, periculis*

Digitized by Google

culis etiam meis, quoniam per hæc illum cœpi - - - Nunc videte, quàm iniqui ſint, quod ex aliena virtute ſibi arrogant, id mihi ex mea non concedunt, ſcil. quia imagines non habeo, & quia mihi nova nobilitas eſt, quam certè peperiſſe melius eſt, quàm acceptam corrupiſſe. Dolendum hinc ſaltem, & quàm maximè dolendum, multos hodiè nobilitatis prærogativam in atrio, fumoſis referto imaginibus vel unicè quærere, ac ſi Proavi non-niſi in noſtram gloriam vixiſſent, illudve, quod ante nos fuit, noſtrum foret. Hinc tot incompoſiti animi, tantaque ſuperbia & elatio nobilium domi præſertim, qui in pagis, quibus præſunt, turgida ſemper vela pandere aſſueti, omnes deſpiciunt, quibus non totidem, ac ipſis enumerare Majores, inveteratasve & per genus ductas poſſidere divitias, fatorum inclementiâ conceſſum eſt, ùt ùt aliàs bonarum artium præſidiis, morumque elegantiâ longè prænitentibus. Ejusmodi Nobilitatem non malè definit CORNELIUS AGRIPPA *lib. de vanitate Scientiarum c. 80.* quod ſit *Robuſta improbitas, atque dignitas, nec niſi ſcelere quæſita benedictio, & hereditas peſſimorum filiorum.* Hique perperam cum aliis confunduntur nobilibus, qui Majorum gloriam geſtis virtutibusque ſuis illuminare & refocillare, ſicque Reipublicæ ac Patriæ ornamento eſſe, officii ſui partes eſſe arbitrantur.

§. XI.

Nobilitas ulteriùs dividitur in mediatam & immediatam. Nobiles mediati ſunt, qui non Imperatori & Imperio, ſed aliis Superioribus & Statibus immediatis immediato ſubjectionis nexu devinciuntur; in Saxonia aliisque Ditionibus dicuntur *Landſaſſen.* Horum

Land-

Digitized by Google

Landſaſſiorum in Electoratu ſcilicet & reliquis Saxoniæ Ducatibus quidam dicuntur *Amtſaſſen*, alii *Schriffiſaſſen*, de quibus vid. SCHWEDER. *Sect. 2. c. 19. §. 2.* EYBEN. *de uſu & aut. J. C. in jus publ. c. 6. §. 29.* REINK. *lib. 1. claſſ. 5. cap. 11. n. 47.* Nobiles immediati dicuntur, qui neminem niſi Imperatorem & Imperium recognoſcunt. Hi occurrunt in Franconia, Suevia, & Terra Rhenenſi, dicunturque *die freye Ritterſchafft in Schwaben, Francken, und am Rheinſtrom, ſo dem Reich ohne Mittel, und keinem andern Herrn und Fürſten unterworffen.* vid. REC. SPIR. *de ann. 1542.* & paſſim junct. REC. *de ann. 1548.* quibus interitus Ducum Franciæ & Sueviæ originem dedit. SCHWEDER. *J. in J. P. Sect. 2. c. 18. §. 4.* quamvis primordia immedietatis Nobilium Rhenani tractus caſu Sueviæ Franconiæque Ducum anteriora eſſe, veriſimile putet PFEFFING. *ad Vitriar. tom. 2. lib. 1. tit. 20. §. 9. lit. a.* Ex his tribus claſſibus nobilium immediatorum unaquæque iterum ſubdividitur: Franconica Nobilitas in 6, Suevica in 5, Rhenana in 3 loca diſtinguitur, ap. EUNDEM *l. c. §. 10. 11. 12.* Noviter acceſſêre Nobiles Inferioris Alſatiæ, reliquis pacto Mergenthalienſi *d. 28. Jun. 1651.* certis legibus juncti: quamvis verò Alſatica hæc nobilitas ad has tres claſſes non referatur, in Receſſibus tamen Imperii Nobilitati Imperii immediatæ accenſetur vid. IDEM *l. c. §. 13. lit. a. vid. etiam Art. IV.* PAC. RYSWICENS. *an. 1697.*

§. XII.

Atque hæc de Nobilitate, & Nobilium diviſione nobis hic breviter dixiſſe ſufficiant, quæ præmittendo eo ſaltem fine adduximus, ut eò clarius inde eluceſcat,

289
Digitized by Google

quantus, quamque inſignis ſit Nobilitatis, indeque Familiarum præſertim illuſtrium in Republica ſplendor, cui conſervando, promovendo, augendo, ac propagando eò magis incumbendum, quò ſpendidiori atque illuſtriori deducitur ſanguine, & quò major in Rempublicam redundat utilitas, ſalus ac felicitas. Nunc de mediis ad conſervandum Nobilitatis, Familiarumque illuſtrium ſplendorem neceſſariis.

§. XIII.

Ac primò quidem clari ſanguinis propagationem ad conſervandum Familiarum illuſtrium ſplendorem ingens momentum adferre, adeò perſpectum eſt, ut multis deducatur, neceſſe non ſit. Illuſtris enim Patris liberi, juſtis ex nuptiis procreati, etiam quoad honores, dignitatem, familiam & gentem, & ſimilia, quæ juris civilis ſunt, ejus conditionem ſequuntur, in cujus poteſtate ſunt, per jura vulgata *§. 1. in fin. I. de legit. agn. tut.* cum pater & filius una eademquè cenſeantur eſſe perſona, *l. fin. C. de impub.* DEC. *conſ. 262. n.* 7. & dignitas à progenitoribus in poſteros ſeminata ſit veluti hereditas proavorum. HERM. KIRCHNER *de legat. lib. 1. cap. 4 n. 143.* Siquidem memoria patris in filiis conſervatur, *l. 220. ff. de V. S.* MYNSING. *3. obſ. 23. n. 7. ſeqq.* & caro filii eſt veluti caro patris aucta, TIRAQVELL. *de primog. q. 42. n. 32.* ita ut pater non omninò videatur extinctus, ſed in filio quodammodo ſuperſtes, *l. cum acutiſſimi C. de fideicomm. l. generaliter. C. de inſt. & ſubſt.* nam à patre in filium, & à filio in nepotem, & deinceps perpetua per continuam ſeriem eſt ſanguinis & familiæ in poſteros continuatio. TIRA-

QVELL.

Digitized by Google

QVELL. *de nobilit. c. 15. n. 1.* MENOCH. *conſ. 1261. lib. 13. n. 15.* Hinc filius omnibus agnationis, familiæ, & ſanguinis juribus & effectibus gaudet, patris virtute & ſplendore illuſtratur, eumquè tanquàm in vivâ imagine conſervat. Id quod usque eò procedit, ut, licet filius ſit natus ex matre ignobili ſeu plebejæ conditionis, is nihilominus Patris illuſtris nobilitatem, arma, inſignia paterna, ſeu familiæ, jus Primogenituræ & Majoratûs, omniaquè jura Agnationis, perinde ac ſi ex fœmina paris cum marito conditionis procreatus eſſet, conſequatur. *L. 13. C. de dignit.* CARPZ. *p. 3. C. 37. def. 2.* Hoc ipſum tamen hodie in Capitulationibus Cæſareis noviſſimis Imp. Caroli VII. glorioſſ. mem. *art. 22. §. 4.* & modo glorioſiſſimè regnantis Imp. FRANCISCI I. eodem *art. 22. §. 4.* quoad Status Imperii immutatum legimus his verbis: *Noch auch denen aus ohnſtreitig notoriſcher Misheurath erzeugten Kindern eines Stands des Reichs, oder aus ſolchem Haus entſproſſenen Herrns, zu Verkleinerung des Hauſes, die Vätterliche Titul, Ehren und Würden beylegen, vielweniger dieſelbe zum Nachtheil derer wahren Erbfolger, und ohne deren beſondere Einwilligung, vor ebenbürtig und ſucceſſionsfähig erklären, auch wo dergleichen vorhin bereits geſchehen, ſolches für null und nichtig anſehen und achten.* Huic conſtitutioni utrum matrimonium illud impar Ducem Meinungenſem Antonium Ulricum, inter & Philippinam Eliſabetham Cæſaream, inferiore loco prognatam, ad inſtantiam Agnatorum anſam præbuerit, id ipſum aliis dijudicandum relinquimus. Hi autem illuſtribus parentibus vitâ donati præcipuè ſtudeant, ut bona à Majoribus vel arte

Digitized by Google

arte vel marte, aliisque heroicis virtutibus, imò ſanguine acquiſita in ſua qualitate imminuta ad poſteros transferant, privilegia ac immunitates, ipſis ac bonis eorum ab ævo conceſſa in RECESSIBVS IMPERII *de annis 1555. §. 26. 1576. §. 23. &c.* item INSTRVMENTO PAC. OSNAB. *art. 10.* contra quoscunque turbatores ſtrenuè defendant, à contrahendo ære alieno & ab alienationibus bonorum ſub quocunque prætextu, omni, quo fieri poterit, modo abſtineant, cum pecunia exinde redacta ſolummodo ad tempus neminem in paupertate vivere ſinit; ſed, paternâ bonorum & gloriæ hæreditate decoctâ, cadit dignitas, cadit ſplendor, cadit exiſtimatio, ſolùm blandiuntur ſibi de imaginibus & generis titulo, imò tandem plebejis annumerantur. Hinc non otientur in bonis ſanguine Majorum partis, aut ſint ex numero eorum, qui putant ſe natos ad fruges conſumendas; ſed Majorum fortitudinem, laboresque improbos ſtrenuo animo recogitent, imitentur, eoque ſumma cum vigilantia allaborent, ut bona à Majoribus ad ſe devoluta in ſua immunitate, flore ac decore non ſolummodo conſerventur, ſed & pro majori ſucceſſorum ſplendore adaugeantur, ne Familiæ eorum id contingat cum iis, quas recenſet BVRGEMEISTER *in Stat. Equeſt. ſect. 12. c. 5.*

§. XIV.

Cum verò numeroſioribus deſcendentibus, opibusque familiæ inter eosdem plures in partes diviſis, Familiarum ſplendor non raró admodùm ità obſcuretur, ut præter Titulos & fumoſas Anteceſſorum imagines poſtgenitis vix aliquid remaneat, hinc ſalutis, tam fami-

Digitized by Google

Familiaris, quàm Publicæ ratio quodammodò exigere videbatur, ut Familiis Illuſtribus in ordine ad conſervandum earundem ſplendorem introducto jure Primogeniturae præprimis conſulatur, vi cujus ea Primogenito maſculo conceſſa eſt prærogativa, ut feuda & nobiliora paſſim prædia, cum omnibus ſuis tum juribus, tum acceſſiónibus, eidem ſoli, ultragenitis certâ, pro dignitate familiæ portione aſſignatâ, deferantur. *A. B. cap.* 7. *&* 22. *conf.* PVFFENDORFF. *de jur. Nat. & Gent. l.* 7. *c.* 7. *§.* 14. KVLPISIVS *ad Monzamb. c.* 4. *§.* 4. SCHWEDER. *introd. jur. pub. part. ſpec. ſect.* 2. *c.* 3. *§.* 7. Et hoc juris ſtabilimento Familiarum illuſtrium gloriæ ac ſplendori inſigniter proſpici, earumque ruinæ, Reipublicæ quám maximè perniciofæ, obviam iri, vel ipſi Primogeniturae fundatores unanimiter arbitrari cenſentur. PFEFFING. *ad Vitriar. Tom.* 4 *lib.* 3. *tit.* 20. *§.* 40. *lit. a.*

§. XV.

Hoc jus Primogeniturae, prout noſtris præcipuè temporibus accipitur, eſt Jus ſucceſſionis, lege aliqua univerſali vel particulari, conſuetudine aut ſtatuto, item pacto vel diſpoſitione teſtatoris ad conſervationem Familiarum præſertim illuſtrium inſtitutum, competens ei, qui in ordine geniturae primo loco natus eſt, ità ut non ſolummodò eo ipſo momento, quo natus, jus Primogeniturae habeat acquiſitum atque in ſua perſona radicatum, ſed & in ſequentem ex ipſo Primogenitum & ita deinceps in infinitum transmittat. TIRAQVELL. *de Primog. Q.* 40. *n.* 19. *ſeqq.* ENGELBR. *de ſucceſſ. in Elect. §.* 23. *&* 31. MYNSING. 3. *obſ.* 24. BETS. *de pact. fam. illuſt. c.* 8. *fol.* 459. RVMELIN. *ad A. B p.* 1.

291

Digitized by Google

diſſ. 6. concl. 4. ibique citat. Quamquam verò ipſa Natura omnes liberos æquales fecerit, & iſti, qui communem ortum, communes Parentes, commune domicilium habent, quiquè æque ſunt partes parentum, & ex eodem ſanguine progeniti, æqualiter ſuccedere debeant. *tit. Inſt. de hered. quæ ab inteſt. l. 1. C. Und. lib. Nov. 22. c. 48.* Deinde inæqualis fratrum ſucceſſio radix ſit diſcordiarum, litium, & invidiæ, ſicut æqualitas dicitur fovere concordiam, *l. 17. C. de Collat.* quæ fratrum odia eò magis præſcindenda, quo graviſſimæ & indelebiles eorum inimicitiæ ſint. Non minùs tamen rectè Primogenituræ jus propugnatur, nec eſt, quod ſucceſſionem juris publici metiamur ex jure privato, ratio enim ſucceſſionis hic non æſtimatur ex utilitate privatâ, quæ nihil amplius in hæreditatum diviſione, quam æqualitatem ſpectat; ſed ex utilitate publica, cujus hic potior ratio habenda eſt: COVARRUV. *3. var. reſol. c. 5. n. 5.* MYNSING. *3. Obſ. 23 n. 1.* TIRAQVELL. *de Primog. Q. 4. n. 13. ſeqq. & ibi alleg.* ne ſcilicet Regna, Principatus, aliaque Patrimonia diſmembrentur, diminuantur, & ad nihilum redigantur; ſed unione conſerventur. *C. Majores. X. de Præbend.* CONRING. *ad Lampad. p. 3. c. 4. §. 28.* RVMELIN. *ad A. B. p. 3. diſſ. 5 th. 2.* Cum vero Familiarum Illuſtrium ſplendor quærendus, earumquè conſervatio neceſſaria ſit, id aliis vix modis fieri poteſt, quàm ſi abſciſſis omnibus alienationis viis opes Familiæ penes unum maneant unitæ, dum econtra repetita ſæpiùs bonorum diviſio non ipſis duntaxat Familiis, ſed & Reipublicæ & Imperio damnum, GAIL. *2. Obſ. 153. n. 3.* & earundem ſplendo-

ri

ri obſcuritatem inducat, ita ut bonorum diminutio dignitatis quoque diminutionem poſt ſe trahat. VULT. *1. feud. 8. n. 35.* SPRINGSFELD. *de Apanag. c. 10. §. 5.* Nec fratrum diſcordia obſtare poterit juri Primogenituræ, cum ea major eſſe ſoleat, ubi plures ſuccedunt fratres, ſimulque regnant, quàm ſi unus reliquis præponitur: eſt enim poteſtas conſortis impatiens, ſociisque comes diſcordia regnis. *l. 77. §. dulciſſimis. ff. de legat. 2.* Ut vero ſuccedendi modus eò certior ſit, Prigenito deſtinata ſucceſſiò integra, nec propterea conqueri poterit ſecundogenitus, niſi invidiâ & regnandi rabie ductus ordinem naturæ velit incuſare. Sanè inæqualitatem ſucceſſionis naturæ non repugnare, ſatis manifeſtum eſt, præcipuè cum minoribus ſecundogenitis tantùm concedi ſoleat, ut vitam honeſtam & dignitati Familiæ non diſconvenientem tolerent. De quo plùribus inf.

§. XVI.

Familiarum illuſtrium eſſe tantùm jura Primogenituræ, nemo fortaſſis nobiſcum contendet. Ceſſabunt igitur illa inter inferioris ordinis homines, quorum Familias conſervari non adeò Reipublicæ intereſt. TIRAQVELL. *de jur. Primog. Q. 16.* BETS. *de pact. fam. illuſt. c. 8 fol. 360. ſeq.* MOLIN. *de Hiſp. Primog. lib. 1. c. 18. n. 8. & 9.* Nos Regum ac Principum Familiis jura Primogenituræ relinquamus: ità tamen, ut nec Comitum, & qui cum hiſce pari jure cenſendi, Baronum Familiæ ab eo ſucceſſionis modo ſint excludendæ. vid. STRYK. *in diſſ. de jur. Baron. c. 4.* SPRENGER *Inſt. jur. pub. l. 3. c. 29.* De Nobilibus quoque non dubitamus,

 quin

Digitized by Google

quin eorum in Familiis jura Primogenituræ poſſint habere locum. vid. KNIPSCHILD *de Nobilit. c. 3 §. 4.* LINKER *p. 1. deciſ 781.* Quamvis verò moribus Galliæ & Angliæ præter Nobiles quoque alii aliquo utantur Primogenituræ jure, id tamen excellentiori juris Primogenituræ nomine inſigniri nequit, & ab hoc in multis differt, quæ examinare inſtituti ratio jam non patitur.

§. XVII.

Varios autem modos introducendi Juris Primogenituræ cum requiſitis recenſet BETSIVS *de pact. fam. illuſt. pag. 215. & 266.* SPRINGSFELD *de Apanag. c. 5.* COCCEJ. *jur. pub. prud. c. 37. §. 8.* ITTER. *de feud. Imp. c. 12. n. 8. ſeqq* Hoc jus primùm lege publicâ Aureæ Bullæ in Electoratibus, quos cum Dignitate individuos voluit Carolus IV. Imp. ſæcularibus ſtabilitum eſt: A. B. *c. 7. & 22.* nihil tamen vetat, quominus idem in Ducatibus, Comitatibus, aliisquè Dignitatibus inferioribus obtineat. BODIN. *de Rep. 5. cap. 6.* Itaque imitatæ ſenſim ſunt aliæ Familiæ præſertim illuſtres, introductaquè Primogenitura ſive PACTO, prout varia docent exempla, quorum nonnulla referunt PFEFFING. *ad Vitriar. tom 4. lib. 3. tit. 20. §. 40. 42. ſeq.* BETSIVS *loc. cit. cap. 9.* MYLERVS *de Princip. & Stat. Imper. p. 1. c. 21.* §. *8.* ſic in Ducatu Würtembergico, Ducatu Brunſwicenſi, Landgraviatu Haſſiæ, Lineæ tàm Caſſellanæ, quàm Darmſtadienſis, & pluribus aliis Familiis illuſtribus jus Primogenituræ pactis Familiæ introductum fuit, quæ pacta ſucceſſoria, quantumvis I. R. prohibita, pro validis ſemper agnovit Germania, nec rationes

Digitized by Google

rationes ad invalidanda ejusmodi pacta integritati Germanicæ convenire viſæ ſunt. LIMN. *jur. pub. L. 4. c. 8. n. 149. ſeqq.* ſive TABULIS TESTAMENTI. Atque ità in Ducatu Bavarico per teſtamentum Ducis Alberti erectum fuit jus Primogenituræ, ann. 1573. cujus teſtamenti verba ſiſtit SPRINGSFELD. *de Apanag. c. 3. §. 57.* Plura exempla refert LUNIGIUS *part. ſpec. des Reichs-Archivs Contin. 2. ſect. 4. art. 2. & 24.* add. SPRINGSFELD. *l. c. c. 5. §. 40.* KNIPSCHILD. *de fideicomm. fam. c. 9. n. 286.* qui modus id commune habet cum altero illo, quod æque conſenſum, quorum intereſt, & confirmationem Imperatoris requirat, id minimum operantem, ne tam facilè quis rixandi anſam inde arripere valeat, pactaque Procerum ſalvà maneant atque firma. *vid. Acta apud Dn.* LUDOLPH. *in tract. de Introd. Jur. Primog. in Append. n. 2.* PFEFFING. *ad Vitriar. tom. 4. lib. 3. tit. 20. §. 4. lit. a.*

§. XVIII.

Conſuetudine quoque inter Familias illuſtres jus Primogenituræ introduci poſſe, ambigendum minimè eſt. Complurium JCtorum aſſenſu id probant SPRINGSFELD. *de Apan. c. 5. n. 64.* SCHRADER. *1. conſ. 13. n. 352.* TIRAQUELL. *de jur. Primog. q. 16. n. 4. ſeq.* Quibus accedit, quod, quidquid per legem ſcriptam ſtatui poteſt, illud quoque conſuetudine introduci valeat. *l. 35. & 38. ff. de LL.* imò univerſali Germaniæ conſuetudine jus Primogenituræ in Familiis Imperii illuſtribus fuiſſe receptum, probare conatur GOLDASTUS *de Majorat. L. 2. c. 15. ſeq. & L. 3. c. 15. conf.* SCHILT. *ad jus allem. feud. c. 52. 60. & 61.* Ità quoque Succeſſionem

Digitized by Google

Linealem in Regno Franciæ uſu magis & interpretatione, quàm lege certâ factam eſſe, exinde conſtat, quod in lege Salicâ ſive Francorum ſucceſſionis Linealis veſtigium non deprehendatur, ſed tantùm, quod Franci in terra Salica ſolos mares ad hereditates privatas admiſerint. vid. HVBER. *de J. Civit. l. 1. ſect. 7. c. 7. n. 46.* COCCEJ. *in Orat. de Leg. Salic.* Quid verò ad ejusmodi conſuetudinem ritè ac legitimè introducendam requiratur, vid. LVDOLPH. *de introd. Jur. Primog. part. ſpec. apbor. 15. n. 3. ſeqq.*

§. XIX.

Quodſi itaque in Familia aliqua illuſtri modis legitimis introductum ſit jus Primogenituræ, Primogenitus ſolus ſuccedit in territorium: *2. f. 55. §. 1.* SPEC. SAX. *lib. 1. art. 14.* idque licet ante acquiſitam à Patre Dignitàtem natus, vel conceptus ſit; A. B. *tit. 7. qualitas enim in perſona patris ſuperveniens etiam in filium anteà natum redundat, l. 5. ff. de Senator. l. fin. C. de Decur. l. 2. §. 1. ff. eod. l. 7. ff. ſi tab. teſt. null.* FÖRSTER. *de Succeſſ. ab inteſt. lib. 4. cap. ult. n. 36. ſeq.* STRYK. *Exam. jur. feud. c. 15. §. 28.* Territorium verò, quod in Primogenitum ſucceſſione defertur, intelligitur cum omnibus ſuis, tum juribus, tum acceſſionibus, prout ſupra §. XIV. dictum fuit. A. B. *tit. 20.* PAC. OSNAB. *art. 4. §. 6. & 26.* GOLDAST. *Reichs-Satz. p. 1. ad ann. 1355. ad ann. 1356. fol. 150. & 153.* Jura Territorii ſunt Regalia, Privilegia, cum reliquis. Ad acceſſiones referuntur regulariter Arces, Palatia, Machinæ, Inſtrumenta bellica, Ornamenta principalia, Annui reditus, Theſaurus, Bibliothecæ publicæ, ſimulque omnes res, vel ad uſum publicum, vel ad Domini

mini

Digitized by Google

mini dignitatem tuendam, vel ſplendorem Familiæ conſervandum comparatæ, ac in perpetuum deſtinatæ. *l. 13. §. ult. l. 17. §. 7. & ſeqq. ff. de act. empt. arg. l. 24. §. 3. l. 41. §. 12. ff. de legat. 1.* COCCEJ. *jur. pub. prud. cap. 27. §. 20. & 21.* PFEFFING. *ad Vitriar. tom. 4. lib. 3. tit. 20. §. 61. ſeqq.* item nomina publica, de quibus COCCEJVS *l. c. cap. 25.*

§. XX.

Quamvis verò hoc jus Primogenituræ Primogenito invito, cæteroquin habili, nec indigno, auferri nullo modo poſſit, ità quidem ut nec Pater, filio Primogenito diſſentiente, hoc jus in ſecundogenitum transferre queat, cum nemini de jure tertii ſine conſenſu ejus diſponere liceat per ea, quæ tradit MYLERVS *de Princ. & Stat. Imp. p. 1. c. 21 § 13.* Inſuperque Primogenitus jus ſuum non beneficio, ſeu ab electione Patris habeat, ſed ab approbatione Superioris, legis beneficio, & primo acquirente, quod pater privato arbitrio tollere haud poteſt. *arg. l. 22. ff. de adopt. §. 1.* Attamen nulli dubitamus, quin Primogenitus juri ſuo, citra præjudicium alterius, ſcil. filii ſui Primogeniti, renuntiare poſſit, *arg. l. pen. C. de pact.* MOLIN. *de Primog. Hiſpan. l. 3. c. 2. n. 21.* idque vel expreſſis verbis, vel actu quodam comprobante traslationem in alium. Id quod exemplo comprobat LIMNÆVS *de Jur. pub. l. 3. c. 7. n. 33.* ex Sereniſſima Familia Brandenburgica. Ejusdem renunciationis exemplum exhibet PFEFFING. *ad Vitriar. tom. 4. lib. 3. tit. 20. §. 57.* ex Illuſtriſſima Familia Brunſuicenſi. Nemo enim invitus etiam inter Principes compellitur eſſe hæres,

&

Digitized by Google

& favori pro ſe introducto cuilibet renunciare permiſſum eſt. *arg. l. 57. C. de Epiſc. & Cler. conf.* LIMNÆVS *ad A. B. tit. 7. §. 2. obſ. 8.* RVMELIN. *ad A. B. p. 1. diſſ. 6. §. 7* MYLER. *de Stat. Imp. p. 1. c. 21. §. 12.* Limitatur tamen, modò ex tali renunciatione nullius jus quæſitum lædatur. Hinc aliud dicendum, ſi Primogenitus jus ſuum cedere, i. e. in quemcunque alium transferre velit, & hoc recte negat STRYK. *in Exam. jur. feud. c. 15. §. 31.* Atque hinc eſt, quod ejusmodi ceſſio in præjudicium liberorum, qui jus ſuum à primo inſtituente quæſitum habent, ſuſcipi nequeat. TIRAQVELL. *de jur. Primog. q. 26. n. 4.* SPRINGSFELD *de Apan. c. 3. §. 224.* MYLER. *l. c. §. 13.* cum ibidem allegatis.

§. XXI.

Primogenitus autem ſolus ſuccedens cæteris fratribus maſculis ſolo jure Primogenituræ excluſis ſuppeditat Apanagium. Quamvis enim conſtitutâ ritè Primogeniturâ Familiarum iluſtrium ſplendor in Primogenito maximè conſervetur, non minùs tamen rectè reliquorum quoque fratrum radiis, ab eodem Familiæ ſplendore derivatis, aliquo modo ſubveniendum, ità ut dignitatem ſuam tueri, & eventualem deſcendentiæ defectum in Linea Primogeniti ſupplere poſſint. Adeò quippe innexa eſt Juri Primogenituræ Apanagii conſtitutio, ut licet eâ de re nihil fuerit expreſſis verbis diſpoſitum, ipſo tamen jure cenſeatur reſervatum, ſalvâ cæteroquin juris Primogenituræ conſtitutione.

§. XXII.

Digitized by Google

§. XXII.

Sunt qui vocis, ſcil. Apanagii originem Gallico vocabulo *Apennage* attribuunt: non tamen, quemadmodum origo vocis ad Gallos forte refertur, ità & his rei ipſius incunabula adſcribenda; unde rectiſſimè Apanagium aliis Gentibus non incognitum fuiſſe, docet RHETIUS *in diſſ. de jur. port. alim. c. 1.* Alii illud à *Pane* latè ſumpto, prout ſcil. omnem victum & alimenta denotat, dictum arbitrantur, inter quos SPRINGSFELD. *de Apanag. c. 1. §. 46.* qui illud aſſignationem alimoniæ proviſionalis Principibus poſtgenitis factam appellat. Nec aliter CHOPPINUS *de Domanio Gallico l. 2. tit. 3. §. 2.* DU FRESNE *Gloſſar. verb. apanare.* SPELMAN. *gloſſ. voc. Apanagium.* Aliorum ſententias recenſet SPRINGSFELD. *l. c. §. 40. & 46.* Dicitur autem Apanagium Penſio, quam Primogenitus, vel qui de ejus Familia eſt, Superioritate Territoriali gaudens, in pecunia, vel reditibus, ex certâ Regionis portione percipiendis, ultragenito, ejusque hæredibus præſtat. MASCOV. *in princ. jur. pub. Imp. Rom. Germ. lib. 6. c. 5. §. 11.*

§. XXIII.

Penſio itaque, quæ fratribus ultragenitis ſingulis pro tuendo Familiæ ſplendore præſtatur, in pecuniâ numeratâ, ſeu certis reditibus annuis plerumque conſiſtere ſolet, ità ut Primogenito ſoli Superioritas Territorialis, cum omnibus ſuis partibus, integra maneat, pura ac illibata. STRYK. *Exam. jur. feud. c. 15. §. 26.* Et quidem ſi Bona Domanialia ad hanc penſionem præſtandam non ſufficiant, in ſubſidium ex Patrimonialibus Principem Primogenitum eandem ſupplere debe-

D re,

295
Digitized by Google

re, veriùs putat VITRIAR. *Tom. 4. lib. 3. tit. 20.* §. 68. Quod eatenùs admittimus, ſi Patrimonialia intelligantur Allodialia, quæ interdum à Domanialibus diſtinguuntur. De acquiſitis enim propriis Apanagium præſtare Primogenitus nullâ ratione obſtringi poteſt. Ad quantitatem verò Apanagii præſtandi determinandam pacta, ſtatuta, paternumque judicium inſpicienda ſunt, BERLICH. *3. concluſ. 11. n. 13. ſeqq.* quæ ſi expreſſa non fuerint, conſuetudo attendenda, & ſicut in liberis Principatibus bene, lacitum Primogeniti ea in re haud exigui momenti eſt; SPRENGER. *Inſt. Jur. Pub. L. 2. c. 41.* ita in Imperio noſtro Germanico boni viri, vel Agnatorum, vel Summi Judicis arbitrio res eſt definienda: HEIG. *1. qu. 25. n. 26.* ità tamen, ut in decernendâ Apanagiatorum portione facultatum hereditatis, proventuum, nec non onerum Primogenito incumbentium ratio habeatur, quippe qui ſplendorem Familiæ & calamitates temporum, vel, ſiquæ aliæ occurrunt circumſtantiæ, eas ſuſtinere tenetur. Nec quantitatem Apanagii ſimpliciter ſecundum quantitatem Legitimæ Juris Civilis determinandam eſſe, nec eam præcisè æquari, neceſſe putamus cum COCCEJO *Jur. Pub. Prud. c. 27. §. 13.* MYLER. *de Stat. Imp. c. 22. th. 5.* & aliis. Legitima enim debetur jure ſucceſſionis, Apanagium autem non tam jure ſucceſſionis, quàm jure proviſionis debetur Apanagiatis, quæ proviſio cum incerta ſit, plerumque & Apanagium incertum erit. Neque ex eo, quod Jure feudorum nihil de hoc ſit diſpoſitum, ſequitur, Apanagii quantitatem ex jure communi eſſe æſtimandam: id ipſum enim negatur, introducto jure Primogenituræ,

Digitized by Google

genituræ, quod Juri Romano incognitum, Quartam Legitimam proviſionis loco deberi. conf. MYLER. *ad Rumelin. p. 3. diſſ. 5. th. 12. lit. b.*

§. XXIV.

Quodſi tamen ultragenito Apanagiato certa terrarum pars regenda penſionis loco conſtituatur, *Paragium* ſeu Apanagium improprium dici ſolet. vid SCHILTER *in diſſ. de Parag. & Apanag.* HERTIUS *in diſſ. de Commentitia Apanagii & Parogii diſtinctione.* At licet Apanagiati in prædiis ſibi aſſignatis præter uſumfructum pro ſe & deſcendentibus ſuis nihil juris obtineant, STRYK. *Exam. jur. feud. c. 15. §. 27.* moribus tamen Germaniæ non inſolitum, ut in parte Provinciæ aſſignata Jurisdictio & Regalia nonnulla Apanagiato in majorem ſui ſplendorem concedantur, quæ jura cum ad Primogenitum Regentem regulariter ſpectent, LEYSER *in diſſ. de Apanag. §. 47.* hinc, quoties id conſtitutum apparet, naſcitur Paragium ſeu Apanagii improprietas. Utroque tamen caſu Superioritas Territorialis penes Primogenitum Principem remanet, STRYK. *Exam. jur. feud. l. c.* RUMELIN. *ad A. B. p. 1. diſſ. 5. th. 14.* KNIPSCHILD *de Fideicomm. famil. c. 6. §. 227.* MYLER *de Princip.* & *Stat. Imp. p. 1. c. 22. §. 4,* niſi Apanagiatus ſpecialiter ab Imperatore de portione ſuâ inveſtiatur, annexâ Superioritate Territoriali, Primogenito quovis modo conſentiente, prout variis exemplis adductis comprobat ITTER. *de Feud. Imper. c. 13. §. 5.* Et Superioritatem Territorialem quibusdam Germaniæ Principibus Apanagiatis vindicat RHETIUS *in diſſ. de Jur. port aliment. c. 4. §. 12.* Recentius quoque ex-

Digitized by Google

emplum ſuppeditat PFEFFING. *ad Vitrar. tom. 4. lib. 3. tit. 20. §. 69. lit. a.* His igitur iſtà ſe habentibus omnia Germanorum Apanagia ſub unam eandemquè regulam redigi nequeunt. IDEM. *l. c. in fin.*

§. XXV.

Tituli quoque & Inſignia, quæ Familiis Illuſtribus non exiguum Splendorem adferunt, Apanagiatis eadem manent, ac Primogenito, *l. 10. ff. de Senat.* MYLER *de Stat. Imp. c. 22. th. 8. & c. 26.* illique ejusdem ſunt illuſtris Dignitatis. SRINGSFELD *de Apanag. c. 11. n. 84.* Imò & Titulo *von Gottes Gnaden* utuntur, qui licet propriè Poteſtatis ſit character, vi tamen ſucceſſionis eventualis & Apanagiatis attribuitur. vid. *Friedens-Executions Haupt-Receſs, ad Inſtrum. Pac. Weſtphal. in pr.* Num vero Statuum Imperii numero accenſeantur Apanagiati, vid. PFEFFING. *ad Vitriar. tom. 4. lib. 3. tit. 20. §. 77. ſeqq.* LETSER *in Diſſ. de Apanag. §. 44.*

§. XXVI.

Sunt & alia præter Primogenituram inſignia Jura, quæ ſplendorem Familiarum illuſtrium & gloriam non minùs conſervant; interque ea non immeritò recenſetur Jus Majoratûs, quod licet ratione finis à jure Primogenituræ haudquaquam differat, cum utrumque in ſplendorem ac favorem Familiarum illuſtrium conſervandarum introductum ſit, quare & non rarò jus Majoratûs cum jure Primogenituræ confundunt DD. veluti videri poſſunt MENOCH. *Conſ. 442. n. 21. ſeqq. lib. 5. & Conſ. 981. n. 1. lib. 10.* COVARRUVIAS *in Quæſt. pract. qu. 1. n. 1. ſequ.* MOLINA *de Hiſpan. Primog.*

l. 1.

Digitized by Google

l. 1. c. 1. Non levis tamen & ſpecifica Majoratum inter & Primogenituram in ordine ſucceſſionis ponenda eſt differentia. In Primogenito quippe ratio ſuccedendi eſt ipſa Primogenitura ſeu prima naſcendi ſors ex jure repræſentationis, ità ut ante omnia conſideranda ſit linea, & illi, qui ex ultimi poſſeſſoris linea ſuperſunt, omnibus aliis præferantur, etiamſi ex alia linea ejusdem Familiæ ætate majores exiſtant: RHETZ *Comment. ad Jus feud. p. 310. n. 11.* in Majoratu verò ſola ætatis prærogativa fundamentum eſt omnis admiſſionis, ita ut ex agnatis ad ſucceſſionem ſemper ille vocetur, qui in Familia poſt mortem poſſeſſoris major natu reperitur, licet ex remotiori ſit geniculo. HARPRECHT *Reſp. 60. n. 869.* ROCCA *Select. jur. diſp. l. 1. c. 4. n. 1. ſeqq.* Itaque in Majoratu non habetur reſpectus ad certam lineam, ſed ad totam Familiam, & ſolius profectioris ætatis ratio habetur, STRYK. *Exam. jur. feud. c. 15. §. 32.* cui ætati nullus definitus eſt certus terminus, ſed in ſola præventione nativitatis, naturalique præoccupatione horarum, dierum, menſium & annorum quotorum conſiſtit. CONTARENUS *de perfect. rer. lib. 4. cap. 8.*

§ XXVII.

His ità præcognitis Majoratus deſcribi poteſt, quod ſit jus prioris ætatis in ſucceſſionis prærogativâ, competens agnato proximiori, qui primus eſt in ordine naſcendi. Unde facile eſt cognitu, quid ſibi velit Major, quem intelligimus eum, qui in totâ aliquâ Familia inter agnatos collaterales præſtat, & antiquiorem præ aliis exiſtentiam per nativitatem ſortitus eſt, *der*

Digitized by Google

Aelteſte des Stammes und Nahmens. HARPRECHT. *Reſp.* 60. *n.* 871. FUSAR. *de fideicom. ſubſtitut. qu.* 383. *n.* 1. *ſeqq.* Ex quibus admodùm elucefcit, in Majoratu ſemper ſuccedere ultimo poſſeſſori Majorem eum, non qui dignitate, nec linearum ordine, aut aliis qualitatibus, ſed qui natu ſeu ætate computatâ à puncto nativitatis, quod illi eſt magis conjunctum, Major exiſtit: in tantùm, ut indubitati juris ſit, majorem natu ejus gradûs aut qualitatis præferendum eſſe cæteris ejusdem gradûs aut qualitatis; ubique enim, ſi cætera ſint paria, & in eodem gradu, quod antiquiùs, præfertur, quia quando antiquior de Familia, ſeu major ætate vocatur, tunc ſumus in majoritate facti, non juris, & non obſtante linearum ordine natu major in Familia admittendus, defuncto ultimo poſſeſſore. Nimirùm in verbis clarè ſignificantibus non cadit ſermonis interpretatio, nec à propria verborum ſignificatione recedere oportet. *l. non aliter. ff. de legat.* 3. Accedit, quod Major, quem aliàs quoque Seniorem dicunt, propriè de lineâ accipi nequeat, FREHERUS *ad A. B. c.* 7. *fol.* 17. & qualitas majoris ætatis requiſita impediat omnem repræſentationem. DECIUS. *Conſ.* 445. MOLIN. *de Hiſpan. Primog. lib.* 3. *cap.* 7. *n.* 2. & *cap.* 8. *n.* 8.

§. XXVIII.

Ad Splendorem Familiarum illuſtrium conſervandum faciunt quoque Fideicommiſſa Familiaria, vulgò *Stamm-Güter, ſo zu Erhaltung eines Fürſtlichen, Græflichen, Adlichen Stammes, und Nahmens verordnet,* de quibus integro tractatu videri poterit, KNIPSCHILD. *de fideicomm. fam. nob. c.* 1. *n.* 13. *ſeqq.* Præcipuus autem ac notiſſimus

mus

mus horum Fideicommiſſorum effectus eſt alienationis prohibitio, adeò, ut omne, quod contractum, in irritum revocetur, ſicque intelligatur, quaſi nec ſcriptum, nec celebratum fuerit. *l.3. §.3. C.comm. de legat.* niſi prædia fideicommiſſo obnoxia ab anteceſſoribus pro ſui ſuorumque ſuſtentatione, alimentatione, conſervatione, recuperatione & refectione rerum fideicommiſſariarum acceſſoria fuerint alienata, aut oppignorata: hiſce ex cauſis bona fideicommiſſaria ex communiori in praxi ſententia, præviâ cauſæ cognitione, validè alienantur aut oppignorantur, eo cum effectu, ut Succeſſor ea omninò reluere neceſſe habeat, reſtitutâ pecuniâ, pro quâ oppignorata. SANDE *de prohibit. rer. alien. p.3. c.8. §.2.n.22* KNIPSCHILD. *de fideicomm. fam. nob. c. 11 n.31.ſeqq.* Item ultimus de Familia bona fideicommiſſaria pro lubitu non ſolum per ultimam voluntatem in quoſcunque hæredes transferre, ſed etiam inter vivos liberè & irrevocabiliter alienare poteſt, in quemcunque voluerit, quia in ipſius perſona fideicommiſſum exſpiravit. SCHWEDER. *in Conſ. Tubingenſ. Vol. 6. conſ. 164. n. 129.* Extra hos caſus certè acerbius nihil, & magis lugubre, quàm Domum, in qua defecit Pater, ad extraneas manus perveniſſe, Majorumque imagines, aut non fixas, aut refulſas videre. *l. 22. C. de adminiſtrat. tut. junct. l. 35. ff. de minor.* Quod ipſum, uti cuique alii, ità non poteſt non omnium moleſtiſſimum accidere Familiis eminentioribus, ac præſertim illuſtribus, quarum ſplendida & magnifica prædia glorioſo Avorum ſudore & ſanguine parta alienis ceſſêre cupiditatibus; tanto hodie frequentiore incommodo,

quantò

298
Digitized by Google

quantò crebriùs uſuvenit, propter indiſcretam ſexûs, filiorum videlicet filiarumque, Agnatorum & Cognatorum ſucceſſionem æqualem per fœminas ſuis maritis cum vita & ſanguine opulentiſſimas quoque hereditates addici. *l.12. C. qui pot. in pign.* EVBEN. *in Elect. feud. c. 6. Coroll. 1. ſeqq.* Hinc varia ſucceſſu temporum excogitata fuêre remedia, quibus bona Familiarum præſertim illuſtrium ad earundem ſplendorem, dignitatem & amplitudinem conſervarentur integra, & dedecoroſæ poſterorum obviam iretur egentiæ. Interque ea juris remedia Fideicommiſſa Familiarum inducta.

§. XXIX.

Quamvis autem omnimodò libera teſtatori ſit perſonarum electio, quibus fideicommittendo proſpicere cogitat, in eoque judicium ipſius vim & autoritatem obtineat. *l. 88. §. fin. ff. de legat. 2. Nov. 22. c. 2. Nov. 1. pr. §. 2.* Siquis tamen per elogium ſuum Fideicommiſſum Familiæ ſuæ reliquerit, nulla ſpeciali adjectione, ſuper quibusdam certis perſonis factâ; ex conjectura naturalis inclinationis, ad ſucceſſionem omnium primi vocantur, qui ex eo ſunt geniti, *l. f. C. de V. S.* & quidem omnes æqualiter. Cæterùm in Fideicommiſſis Familiæ habilitas ſuccedendi ex jure civili æſtimatur. Unde illorum Clerici quoque, muti, ſurdi, furioſi &c. capaces. KNIPSCHILD. *de fideicomm. fam. c. 8. n. 47. n. 99. n. 113.* exceptis fœminis, quæ Feudorum æquè ac Fideicommiſſorum regulariter incapaces reputantur. *Idem l. c. n. 127.* Fideicommiſſa enim ad ſplendorem Familiæ conſervandum relinquun-

quuntur. MENOCH. *l. 4. præſumt. 91. n. 2.* MANTICA *de conject. ult. volunt. n. 6. ſeqq.* per ſolos autem maſculos conſervatur & propagatur Familiæ ſplendor & gloria, quam filiæ nubendo egrediuntur & aliam conſtituunt. *l. 195. §. 5. ff. de V. S.* Quibus non officit, Familiæ vocabulo latiſſimè accepto etiam venire fœminas, *d. l. 195. §. 2. ff. de V. S.* imò per filias quoque diuturnitatis memoriam nobis relinqui. *l. 220. in f. ff. de V. S.* Secus enim hæc ſeſe habent, partim communi uſu loquendi, ubi Familiæ denominatione ſaltem continentur agnati per virilis ſexûs cognationem nobis conjuncti, *§. ſunt autem. J. de legit. agnat. ſucceſſ.* FORSTER. *de Succeſſ. ab inteſt. l. 3. c. 25. n. 11.* partim ubi certum eſt, diſponentem per Fideicommiſſum intendiſſe conſervationem Familiæ; ibi enim nomine Familiæ non continentur fœminæ, ſed excluſæ intelliguntur. MENOCH. *4. præſumt. 88. n. 5.* Idem dicendum de maſculis ex fœmina deſcendentibus, ſiquidem ſucceſſoris non poteſt eſſe melior, quàm autoris conditio. *l. 125. §. 1. & l. 103. ff. de Reg. Jur.* Et abſurdum eſſet, ſucceſſores remotiores admittere, ubi autores proximiores fuêre repulſi. *c. licet ex quadam. X. de teſtib.* Potiſſimùm, quia in fœminarum excluſione, mutato ſexu, non etiam mutatur excluſiva ratio. BALD. *in l. maximum vitium. C. de lib. præt.* FUSAR. *de ſubſtit. fideicomm. qu. 407. n. 3.* niſi claræ diſpoſitiones Majorum, pacta hæreditaria, aut etiam dotalia indubitata obſtent, vi quorum maſculus, ex fœmina à primo acquirente vel diſponente natus, aliis ab eodem deſcendentibus fœminis, licet defuncto ultimo proximioribus præferri debeat, quæ Majorum diſpoſitiones

Digitized by Google

aut conventiones, ſi dubiæ fuerint interpretationis, non rarò inſignibus altercationibus inter Reges & Principes, non aliter niſi victrici gladio decidendis, anſam præbent. vid. SCHWEDER. *in Conſ. Tubing. Vol. 6. Conſ. 96. n. 211. ſeqq.* Noviſſimum ſiſtit præjudicium ætas noſtra inter MARIAM THERESIAM, Reginam Bohemiæ & Hungariæ, modò Imperatricem, & CAROLVM ALBERTVM, Ducem & Electorem Bavariæ, poſtmodum Imperatorem Glorioſ. mem. propter diſpoſitionem Ferdinandi I. Imp. & Pacta Dotalia Albertum V. Ducem Bavariæ inter, & Annam Filiam Ferdinandæam inita, quæ controverſia poſt obitum Caroli VI. Imp. exinde orta, non niſi fuſo multo ſanguine, tandem poſt mortem Caroli VII. Imp. anno MDCCXLV. cum Carolo Maximiliano, Duce & Electore Bavariæ in favorem modò memoratæ Reginæ fuit compoſita, & pax optata ſubſecuta. Nec aliud obtinere puto, etiamſi ab ipſa fœmina relictum fuerit Fideicommiſſum, nam ad agnatos potiùs maſculos, qui Familiam conſervant, quàm ad filias reſpexiſſe teſtatrix, & inde maſculos prætuliſſe præſumitur. *l. f. C. de Impub. & aliis ſubſtit. l. ſi mulier. ff. de uſuf. accreſc.* Pariter uti in feudo, pro maſculis & fœminis conceſſo, maſculis extantibus, fœminæ regulariter non admittuntur. *2. f. 30.* STRUV. *Synt. Jur. feud. c. 9. th. 8. n. 5.* WESENB. *de feud. c. 6. n. 22. v. 4.* Extinctis tamen ex Familia teſtatoris maſculis, fœminæ quoque cæteris paribus ſuccedere poſſunt per ea, quæ tradunt PEREGR. *de fideicomm. art. 27. n. 20.* KNIPSCHILD. *de fideicomm. fam. nob. c. 8. n. 127. ſeqq.* Ceſſat enim prohibitionis ratio, nempe Agnationis ſeu Familiæ conſer-

vatio, quæ, omnibus extinctis agnatis, ipſa quoque neceſſariò extinguitur. Hinc & ipſum Fideicommiſſum, ubi ſemel pervenit ad fœminas, evaneſcit, & primævam ſuam ſeu liberam induit naturam, ut impoſterum liberè tranſire poſſit in alios, quippe causâ inſtitutionis, conſervatione Familiæ, ceſſante. *c. cum ceſſante X. de Appellat.* Ex quo ſequitur, nihil amplius intereſſe, ſive maſculi ex fœminis ſemel admiſſis, ſive fœminæ extituri ſint, neque enim amplius maſculorum cognatorum ulla præ fœminis prærogativa ſpectabitur, ſed vel omnes æqualiter, vel pro graduum proximitate ad hereditatem jam liberam, adeoque juxta ductum juris communis deferendam, admittentur. *l. 4. C. de lib. præt.* KNIPSCHILD. *l. c. n. 286.*

§. XXX.

Modus & ordo ſuccedendi in Fideicommiſſis Familiarum ex arbitrio fundatoris dependet, cui liberum eſt, ſucceſſionem futuram determinare pro lubitu. *l. 32. §. f. ff. de legat. 2. l. 69. §. 1. ff. de leg. 2.* Neque enim Edictum Succeſſorium, ſive ordinem præcisè juris communis obſervare tenetur, ſed libera ipſi ſtatuendi poteſtas eſt. *l. 1. C. de SS. Eccleſ.* Hinc & eo modo Fideicommiſſum Familiæ conſtitui poteſt, ut vel Senior in Familia, vel Primogenitus tantùm in illo ſuccedat, & ſic vel Majoratûs vel Primogeniture qualitatem induat. Prima igitur in Fideicommiſſo Familiæ relicto, eorum ſolet haberi ratio, quos primò nominatim teſtator vocavit, *l. 32. §. fin. ff. de legat. 2.* quia ex ordine ſcripturæ ordo dilectionis præſumitur. *l. hæredes §. fin. ff. ad Trebell.* MENOCH. *4. præſumt. 6. n. 3.* Quæ omnia accuratè definiviſſe

300

finiviſſe ad hoc ſaltem proderit, ut lites & controverſiæ, quæ aliàs inter heredes ſucceſſionem anhelantes facilè exoriri, & pia teſtatorum judicia turbare poſſunt, præſcindantur, omnisque tollatur obſcuritas, quod in ſimili monet MOLINA *de Hiſpan. Primog. l. 3. c. 5. n. 66.*

§. XXXI.

Inter omnia, quæ Familiarum illuſtrium Splendorem conſervant ac promovent, maximè commemoranda ſunt Pacta Familiarum Succeſſoria, quæ in genere ſunt Conventiones de hereditate viventis. HAHN. *de Jur. Rer. c. 7. concl. 68. n. 2.* Conventionis autem vocabulum generaliùs hic ponitur, *l. 1. §. 3. ff. de Pact.* ità ut illo quoque Stipulationes, Donationes, Hypothecæ, aliique contractus, qui de viventis hereditate fiunt, eandemque cum pactis deciſionem habent, ſimul includantur. *vid. l. fin. C. de pact. l. 61. ff. de V. O. l. 52. §. 9. ff. pro ſoc.* Valida autem ſunt ejusmodi pacta, Familias inter illuſtres circa ſucceſſionem legitimè inita, & laudabili conſuetudine ad conſervandum earundem ſplendorem introducta; imò vim & naturam fœderis habent & conventionis juratæ, indeque non ſunt ambulatoria: REUSNER. *1. Conſ. 3. n. 29.* quidquid alii ex jure Romano in contrarium, ex *l. 11. C. de transact.* quâ votum captandæ mortis alterius proſcribitur; aut *l. 5. C. de Pact. Convent.* quæ pactis hereditatem dare vetat; aut *l. 1. C. de SS. Eccleſ.* juxta quam liberrimus ſit ſupremæ voluntatis ſtylus, per pacta omninò impeditus; aliasque ſimiles allegare conentur. Siquidem hujusmodi leges contrariâ paſſim conſuetudine ſublatæ ſunt, & ſuſpicio de perſonis, quidni integris Familiis? illuſtribus, quaſi

per

Digitized by Google

per ejusmodi pacta alter alterius mortem ſeu interitum captaret, criminoſa eſt, quid? quod pacta hæc ad conſervandum potiùs Illuſtrium Familiarum ſplendorem ineantur, eique inſerviant, Pacem publicam & unâ Tranquillitatem Imperii multùm promoveant, inſuperque ſubditorum ſaluti proſpiciant, quorum omninò intereſt, ignotis Dominis non ſubjici. GYLMAN. *l. Deciſ. 6. §. 176.* MYLER. *de Princip. & Statib. Imp. p. 1. cap. 25. §. 12.* WURMSER. *Exercit. 2. Jur. Pub. th. 20. ibique allegati.* Accedit, quod conſuetudine hæc pacta adeò invaluerint, ut propemodum fruſtranea de iis omnis videatur dubitatio. HEIGIUS *p. 2. quæſt. 13. n. 3.*

§. XXXII.

Horum verò Pactorum præcipua quædam ſunt, interquè ea primum ſibi meritò locum vindicat Pactum Confraternitatis. Dicitur germanicè *Erbverbrüderung*, ejusquè Socii vulgò appellantur *Erbverbrüderte.* Eſt autem Pactum Confraternitatis nihil aliud, quàm Conventio duarum pluriumve Familiarum illuſtrium, ritè & eo fine inita, ut, unâ Familiâ in maſculis extinctâ, ſuperſtes in bona & Principatus defunctæ ſuccedat, accedente Superioris autoritate, eamque ratihabente. Ejusmodi pactum eſt vel *Univerſale*, prout ſcilicet univerſas paciſcentium Ditiones reſpicit: quale eſt pactum, quod olim inter Landgravios Thuringiæ, & Marchiones Miſniæ ab unâ, & Landgravios Haſſiæ ab alterâ parte initum, deinde verò ampliatum, & ad Domum quoque Brandenburgicam extenſum fuit. vid. BODINUS *in diſſ. de Pacto Confraternitatis Saxonico-Branden-*

 den-

301

Digitized by Google

denburgico-Haſſiaco CARPZ. *in diſſ. ſub eodem tit.* vel *Particulare*, quod de quota bonorum, ſeu certis tantummodò Ditionum partibus initur: ità Duces Saxoniæ, JOANNIS FRIDERICI I. Electoris Saxoniæ Lineæ Erneſtinæ Filii, JOANNES FRIDERICVS, JOANNES VVILHELMVS, & JOANNES FRIDERICVS III. cum Comitibus Hennebergicis VVILHELMO, GEORGIO ERNESTO, & POPPONE, Patre Filiisque paciſcentes, hi totum Comitatum, illi Ditiones tantùm ſuas in Franconia illi legi ſubjiciebant. LIMN. *de Jur. Pub. l. 4. c. 8. n. 173.* vi quorum pactorum, anno 1554. 1. Sept. Cahlæ initorum, atque anno 1555. 22. Jan. ab Imperatore Carolo V. Bruxellis confirmatorum, ab obitu GEORGII ERNESTI anno 1583. 27. Dec. Gentem Hennebergicam, quoad maſculam prolem, claudentis, Comitatus, exceptis partibus Epiſcopo Herbipolenſi, & Landgravio Haſſiæ inde obvenientibus, ad Sereniſſimam Domum Saxonicam noſcitur devolutus. vid. SPANGENBERG. *Hennebergiſche Chronick lib. 5. cap. 53.* PFEFFINGER *ad Vitriar. Tom. 2. lib. 2. tit. 1. §. 16. lit. a. & Tom. 4. lib. 3. tit. 20. §. 84.* Utrumque iterum eſt, vel *bilaterale*, cum æquum utrinque jus ſuccedendi paratur: vel *unilaterale*, cum alterutri ſaltem parti ſucceſſio defertur. Ejusmodi Confraternitas ex uno tantùm latere conſiſtens, fuit inter Landgravios Haſſiæ & Comites Cattimelibocenſes, RITTER *de Confrat. th. 10. lit. a.* LIMNÆVS *de I. P. l. 4. c. 8. n. 175.* & inter Marchiones Brandenburgicos ac Pomeraniæ Duces, ſcil. ut illi ſaltem his ſuccederent. MONZAMB. *de Stat. Imp. Germ. c. 3. §. 3.* LIMN. *l. c.* Quamvis hoc pactum Pomerano-Brandenburgicum ſucceſſu tem-

Digitized by Google

temporis reciprocum factum ratione novæ Marchiæ. LIMN. *Tom. 4. Addit. l. 4. c. 8. n. 174.*

XXXIII.

Finis harum Confraternitatum eſt publica utilitas & tranquilitas promovenda, conſervandus Familiarum illuſtrium ſplendor, gloria, dignitas & incrementum, firmaquè inter easdem amicitia ſtabilienda. KNIPSCHILD *de fideicomm. fam. c. 7. n. 60.* Hinc & hæc Confraternitatis pacta obligationem tacitam mutuæ defenſionis ſecum trahunt, ad quam præſtandam Illuſtriſſimi Confratres eò arctiori vinculo tenentur, quò magis radicata eſt eorum ſpes futuræ ſucceſſionis, quippe quæ tali ex pacto irrevocabiliter quæſita, & proprio aſſenſu confirmata, neque auferri per teſtamentum, neque alio quocunque modo, partibus ipſis invitis, minui poteſt. KLOK. *Tom. 3. conſ. 150. n. 13.* BESOLD. *1. Diſſ. Nomicop. 13. n. 11.* Initâ enim Confraternitate, Ditiones utrorumque Summorum Paciſcentium ſtatim invicem communes fiunt, ità ut uterque ſtatim & dominium & poſſeſſionem civilem conſequatur, ſolâ executione reali in caſum mortis delatâ. KLOK. *l. c. n. 11.* & ficta quædam traditio interveniſſe, bonaque per conſtitutum poſſeſſorium ſtatim translata cenſentur. REINKING. *de R. S. E. l. 1. claſſ. 4. c. 18. n. 12. ſeqq.* Id quoque colligitur ex præſtatione mutuâ Jurisjurandi & Homagii, quæ ab utriusquè Partis ſubditis exigitur & præſtatur, cujus formulam exhibet STRYK. *in Append. Exam Jur. feud. n. 10. p. 409. vid.* SPRINGSFELD. *de Apanag. c. 11. n. 162.* Eaque Homagii præſtatio inducit jus Subjectionis quæſitum, non quærendum, quamvis

uſus

302

Digitized by Google

uſus & exercitium differatur: differt enim uſus & exercitium rei à re ipſa, neque ſtatim, qui jus in re habet, ejus etiam habet uſum & exercitium. VULT. 2. *Conſ. Marp.* 25. *n.* 112. Præterea cum ſucceſſione in Territorium annexam quoque ei Dignitatem, vi pacti Confraternitatis, acquirit is, qui ex illuſtribus Confratribus ſuperſtes eſt, id quod exemplo ſuccedentis Friderici Comitis Montiſpeligardi in Ducatum Würtembergenſem & Teccenſem, qui absque ſpeciali creatione Dux factus, comprobat SPRENGER *Inſt. Jur. Pub. l.* 2. *c.* 37. & *c.* 2. Nam ex inveſtiturâ, perſonæ illuſtri de ejusmodi feudis factâ, Dignitates quoque collatas eſſe, præſumitur. CARPZ. *Diſp. Feud.* 2. *th.* 16. *ibiquè cit.* An vero etiam Electoratus poſſit eſſe objectum Confraternitatis? pro negativa tàm ratione Dignitatis, quod ea non dependeat à diſpoſitione hominis, ſed legis, A. B. *tit.* 7. quàm reſpectu Ditionis Electoralis, eo quod Electoralis Dignitas radicaliter in aliquâ Ditione ſit fundata, eamque ceu umbra corpus ſubſequatur, ità ut absque terrâ, ſi forte de hâc ſolâ paciſci velint, cum de Dignitate, per jam dicta, non poſſint, ea eſſe, aut ſubſiſtere, haud valeat. A. B. *tit.* 29. LIMNÆUS *de Jur. Pub. l.* 4. *c.* 8. *n.* 166. & *ad* A. B. *tit.* 7. §. 3. *obſ.* 8. RUMELIN. *P.* 2. *diſſ.* 6. *th.* 17. ſcilicet, ne Officium Electorale ſit ſine reditu, nec reditus Electoralis ſine Dignitate. CARPZ. *diſſ. de Confrat. Sax. Haſſ. th.* 38. *n.* 34. *ſeqq.* Hinc cum Dignitas & Vox Electoralis in ipſa Ditione radicentur, MARIA THERESIA, Filia Caroli VI. Imp. Glorioſ. mem. hæreditaria, quà Regina Bohemiæ, cui Regno Electoralis Dignitas, non attento ſexu, ſpecialiter & perpetuò

inhæ-

inhæret, votum in eligendo Imperatore, poſt obitum modò dicti Caroli VI. anno 1740. virtute Regni rectè ſibi competere aſſeruit, & quamvis, ſpretis graviſſimis rationibus, præfatæ Sereniſſimæ Electricis votum, in Electione Sereniſſimi Electoris & Ducis Bavariæ, Caroli Alberti anno 1742, rebus tum temporis ſic ſtantibus, quieſcere debuerit; nihilominus tamen, mutatâ rerum facie, poſt præmaturum obitum mox memorati Caroli Alberti Optimi Imperatoris, votum Reginæ Bohemiæ in activitatem redactum, & ipſa ad Electionem Imperatoris FRANCISCI I. iterum fuit admiſſa.

§. XXXIV.

Pactis Familiarum illuſtrium ſucceſſoriis annumeratur quoque Pactum Ganerbinatûs; quod eſt conventio inter nobiles ac illuſtres Familias, certis legibus, Superioris autoritate accedente, inita, ut ſe ſuasque facultates contra vim & hoſtiles incurſiones mutuis viribus defendant, & unâ Familiâ extinctâ, ex aliâ ſuperſtites ſuccedant. Hæc Pacta ſeu Conventiones germanicè dicuntur *Ganerbſchafften.* STRUV. *Exercit. 38. th. 47.* item *Burgfrieden.* DE SECKENDORFF. *Teutſcher Fürſten-Staat. p. 2. c. 3.* & Ganerbii vulgò *Burgmænner* dicuntur. BESOLD. *Theſ. Pr. voc. Burgman.* item *Ganerben.* vid. WEHNER. *Obſ. pract. hac voc.* Originem hiſce pactis juris Manuarii & diffidationum privatarum licentia præbuit, de qua vid. A. E. *tit. 15.* quamvis & ante hæc tempora jam extitiſſe Arces, à pluribus fœdere conjunctis Familiis defenſas, teſtetur PFEFFING. *ad Vitriar. tom. 4. lib. 3. tit. 20. §. 83. lit. a.* quæ poſtea in Ganerbinatus abiêre.

F §. XXXV.

Digitized by Google

§. XXXV.

Ex deſcriptione autem horum pactorum ſatis ſuperque apparet, duplicem eſſe eorum finem. Primarius eſt mutua contra hoſtes defenſio. Secundarius & accidentalis eſt mutua in Ditiones Condominorum vacantes ſucceſſio. Uterque conſervationem Splendoris Familiarum illuſtrium ſufficienter oſtendit, quamvis & ipſi Ganerbii non rarò degenerárint, & limites pactorum transgreſſi fœda adeò latrocinia exercuerint, ut nomen eorum ferè in convicium abierit, quem eorum abuſum, ùt peſtem Reipublicæ, maximè improbamus. Cæterùm Ganerbii ad horum pactorum mutuò initorum obſervantiam, quæ ad hæredes quoque extenditur, omninò obligantur, nec diſſenſu unius diſſolvuntur, bona eorum invicem fiunt communia, eaque quilibet, non pro parte diviſa, ſed indiviſa poſſidet. KILLING. *Diſc. 6. à n. 1. usque ad 20.* Ex quo porrò fluit, quod nec alter Ganerbinorum partem ſuam extraneo vendere, nec in feudum offerre poſſit, cæteris invitis, STRUV. *Synt. Jur. Feud. c. 7. aph. 10. n. 12.* ſed unâ Familiâ Ganerbiorum extinctâ altera ſuperſtes in bona demortuæ ſuccedat, cum omnibus juribus & pertinentiis, imò & Dignitatem, ſi quæ caſtro adhæreat, acquirat, ità ut ſi feudum Imperii immediatum ſit, tunc Ganerbius & jura immedietatis conſequatur, licet, ſi alterius Principis Vaſallus aut ſubditus ſit, perſona ejus ideò non mutetur, nec Domini ſui Territorialis poteſtate hinc eximatur. KILLING. *Diſc. 16. n. 1. ſeqq.* Præter hos & alios inſignes Pacti Ganerbinatûs effectus, caſusque ſpeciales recenſent HARTMANN. PISTOR. *Vol.*

1. Conſ.

Digitized by Google

1. Conſ. 21. FICHARDUS *Conſ. latin. 7.* REUSNER. *Vol. 1. Conſ. 20. aliique.* Laudantur autem præcipuæ Civitates, Caſtra, Arces & loca Ganerbiorum ordine alphabetico apud PFEFFING. *ad Vitriar. tom. 4. lib. 3. tit. 20. §. 82. lit. c.*

§. XXXVI.

Inter ea, quæ Familiarum illuſtrium ſplendorem maximè conſervare ac augere dicuntur pacta ſucceſſoria, referenda quoque ſunt Pacta Conjugum, germanicè *Eheſtifftungen* & deſcribi poſſunt, quod ſint Conventiones in emolumentum Familiæ inter conjuges eo fine initæ, ut altero decedente ſuperſtes bona ejus acquirat, in illisque ſuccedat. Nec ſolùm Conjuges inter ſe, ſed & Parentes de ſucceſſione ſponſi aut ſponſæ, in caſum exiſtentium, aut non exiſtentium liberorum, non rarò diſponere ſolent, quatenus nempè illi, aut etiam liberi illorum tunc Parentibus, & in quâ parte, aut hi etiam liberis ſuis, ſuccedere debeant. WESENB. *ad l. 15. C. de Pact. n. 13. ſeqq.* Nihil porrò refert, viciſſitudinaria ſeu reciproca, an ſimplicia ſint pacta, & de uno ſaltem Conjugum, e. g. ſi maritus in emolumentum Familiæ uxoris prædefunctæ hereditatem acquirat, concepta. HAHN. *de Jur. Rer. Concl. 72. n. 2. 3.* BESOLD. *ad Jus Prov. Wüttemb. D. 3. th. 67.* Et talia pacta, explosâ quodammodo juris Romani ſcrupuloſâ ſubtilitate, irrevocabiliter valere, præjudiciis Cameralibus confirmant MYNSING. *2. Obſ. 33.* GAIL. *2. Obſ. 8.* Exempla varia, ubi integræ Ditiones, Regna & Principatus in dotem maritis illata, eoque modo acquiſita, refert GROT. *de Jur. Bell. & Pac. l. 1. 3. 12. n. 3. & 4. & in not. ibid.* dummodò pleno

jure, ſeu in dominio & patrimonio habeantur. IDEM. *l. c.* Idque uſus multis retrò ſeculis adeò approbavit, ut nec ullam ferè Germaniæ noſtræ Familiam illuſtrem excipere liceat, quæ ex pactis dotalibus incrementum fortunarum non acceperit. vid. BESOLD. *1. Diſſ. Nomicop. 11. n. 14.* Sereniſſimam certè Domum Auſtriacam, quam nunc licet, cum Carolo VI. Imp. Glor. mem. quoad Principes ſaltem maſculos, irreparabili ferè damno, extinctam dolemus, tot ex pactis dotalibus acceſſionibus factis, ad tantam tamque ſublimem Gloriam, Splendorem ac Potentiam, quæ hodiernâ adhuc die in MARIA THERESIA Glorioſiſſimi Imperatoris hodierni Conthorali digniſſima radiat, &, quantùm fieri poteſt, contra ſtrictos adverſariorum enſes conſervatur, perveniſſe notiſſimum eſt.

§. XXXVII.

Pacta Conjugum ſequuntur Uniones Prolium, vulgò *Einkindſchafften* dictæ, quæ ſplendorem quoque Familiarum illuſtrium non rarò haud exiguum addunt incrementum; & deſcribi poſſunt, quod ſint Conventiones inter Parentes, de liberis diverſorum matrimoniorum, quoad acquirendam Parentum propriam hereditatem, exæquandis, ut utrique ſimul ſuccedant: quod conventionis genus in Germaniâ noſtrâ longo jam retrò tempore uſitatiſſimum, & vel inveteratâ conſuetudine, vel expreſſo ſtatuto approbatum. Atque in his Ordinationem Moguntinam præ reliquis commendat, eamquè, veluti totius hujus juris normam ac regulam, in Camera olim Spirenſi, nunc Wetzlarienſi, receptam teſtatur HAHN *de Jur. Rer. concl. 73. n. 2.*

In

Digitized by Google

In hanc autem Unionem veniunt, vel bona univerſa Perſonarum unientium, vel certa tantummodò eorum pars. Quodſi tamen Unio generaliter & indefinitè concipiatur, omnia bona, quæ paciſcentes tempore pacti poſſederunt, quæve à lege aut homine excepta non ſunt, in pactum deducta cenſentur: KLOK. *T. 3. Conſ. 160. n. 31. ſeqq.* ità quidem, ut liberi uniti absque ullâ aliâ ultimâ voluntate, vi hujus pacti, Parentibus unientibus æqualiter ſuccedant. HAHN. *l. c. n. 11.* Neque tamen reſcinduntur ejusmodi Uniones Prolium, ſi ex altero matrimonio nulli liberi nati fuerint, BESOLD. *Theſ. Pr. b. voc.* ICTI MARBURG. *Vol. 1. Conſ. 8. per tot.* & tum præprimis pacta hæc in utilitatem ac ſplendorem Familiarum illuſtrium vergere dicuntur, quando quis ſcilicet illuſtres tantùm ex priori matrimonio liberos habet, uxor verò ſecundi matrimonii dives eſt, & ex hac liberi non extent. Hinc enim, cum liberi ex priori matrimonio nati, participes quoque fiant opulentæ hæreditatis ac bonorum Novercæ, adeóque conditionem ſuam, per quæſitas ſibi ex hereditate maternâ divitias, reddant meliorem, idcircò ejusmodi pacta non poſſunt non quandoque in ſplendorem Familiarum illuſtrium vergere, ad eumque conſervandum non parùm contribuere. Quid verò ad conficiendum ejusmodi pactum, & Unionem Prolium ritè conſtituendam requiratur? id Ordinatio Moguntina, ſuprà commemorata, quàm diligentiſſimè expreſſit, ad eamque brevitatis ſtudio hic nos remittimus.

§. XXXVIII.

Sunt & præterea Pacta quædam renunciativa

305
Digitized by Google

fœminarum non tantùm illuſtrium, quæ ſplendorem. Familiarum illuſtrium ac dignitatem non minùs, ac cætera conſervant, ſed & quandoque maſculorum. vid. BETSIUS *de Pact. fam. illuſt. c. 7. p. 313. c. 8. p. 367. & c. 10. p. 636.* Renunciationes tamen fœminarum illuſtrium, illis, quæ à maſculis fiunt, frequentiores longè ac celebriores exiſtunt, nec tantùm in Germaniâ noſtrâ, ſed & ubiquè ferè terrarum, ex graviſſimis & prægnantiſſimis rationibus recepta eſſe, & approbata, teſtantur ROBERT. 2. *Rer. jud. 4.* MUSCUL. *de Succeſſ. convent. memb. 2. n. 229.* quarum Renunciationum finis primarius eſſe ſolet, ut bona in agnatione conſerventur, Regnaque, Principatus, Comitatus & Baronatus per fœminas ad extraneum non devolvantur. BESOLD. *Conſ. 133. n. 22. & Conſ. 171. n. 38. ſeqq.* SPRENGER. *Inſt. Jur. Pub. l. 2. c. 27.* Hæc igitur pacta ſeu Renunciationes, cum juris non ſcripti ſeu conſuetudinis autoritate nitantur, præſertim cum in ſplendorem Familiarum illuſtrium conſervandum tendant, & Renunciationes favore maſculorum, *dem Adlichen Mannes Stamm zum beſten*, factæ, ſint admodùm favorabiles, ALEXANDER *Conſ. 83. n. 17.* omni modo validæ ſunt. Id quod tum vel maximè procedit, ſi ejusmodi Renunciationes, juramento à fœminis præſtito, fuerint confirmatæ, datis litteris, quæ *Verzich-Brieffe* vulgò appellantur: vid. COCCEJ. *Jur. Pub. Prud. c. 28. §. 3.* SPRINGSFELD *de Apanag. c. 12. n. 60. ſeqq.* ſiquidem jure Canonico juramentum per ſe vim habeat obligandi, & ad evitandum æternæ ſalutis diſpendium ſervari debeat. *c. quamvis de Pact. in 6to.* Jure tamen Saxonico communi conventiones

Digitized by Google

ventiones tales, etiam injuratæ, firmæ ac ratæ ſunt; LANDR. *l. 1. art. 13.* quod ſecus in Electoratu Saxoniæ. BERLICH. *Concl. 45. p. 2.* In ſpecie filiæ nobiles Ordinis Equeſtris immediati in Suevia, Franconia, & ad Tractum Rheni, antè vi antiquiſſimæ conſuetudinis, poſtmodùm expreſſi Statuti, quod refert BVRGEMEISTER. *in Stat. Equeſt. cap. 21. p. 459.* ſi manſerint innuptæ, in loco, ſibi conſentiente Familiâ, electo, congruam ſuſtentationem accipiunt, ſin nupſerint digno, congrua dos & elocatio, vel à vivis Parentibus, vel his defunctis, à proximis utrinque agnatis & cognatis, his diſſentientibus, à Directorio Equeſtri, conſideratis bonorum & perſonarum circumſtantiis, ex æquo & bono determinatur; inſuper ex hæreditate materna ornamenta muliebria, & veſtes præcipuas habent. De reliquo hæreditatibus paternæ, maternæ, & fraternæ, pro ſe & poſteris ſuis, nullâ habitâ bonorum differentiâ & qualitate, in favorem ſtirpis maſculinæ renunciare tenentur, ſalvo tamen regreſſu ad bona renunciata, in caſum totius agnationis extinctæ, modo qualitas bonorum, aut ſpecialia pacta Familiæ non obſtent. conf. LEYSER. *Medit. ad Pand. Specim. 403. in fin.*

§. XXXIX.

Pactis Familiarum Succeſſoriis, quibus earundem ſplendorem ac gloriam conſervari intenditur, ſubjicere lubet Beneficia Eccleſiaſtica ſeu Canonicatus, quibus non minùs, ac reliquis Familiarum illuſtrium ſplendori inſigniter conſulitur. Cum enim Familiis præſertim illuſtribus adeò notum perſpectumquè ſit, quantum incommodi parerent intempeſtivæ Ditio-

num

Digitized by Google

num diſtractarum divulſiones, idque in hac rerum conditione ità comparatum ſit, ut quidquid in minutulas partes ſecatur, in nihilum tandem redigatur: non injuriâ aliâ ratione proſpectum voluerunt liberis ſuis aut poſteris, quibus ſecundo, tertio aut ulteriori loco naſci datum, quo perceptis Eccleſiaſticæ Portionis fructibus annuis honeſtam, &, quæ Familiæ ſplendori convenit, ingenuam vitam degere poſſent. Quod autem Familiæ illuſtres Præbendis, Canonicatibus, ac ſublimoribus Beneficiis Eccleſiaſticis fruantur, id omninò juſtiſſimum eſſe ac æquiſſimum, vel ex eo liquet, quod ex ipſorum bonis Eccleſiæ tàm inſignem nactæ fuerint alluvionem. MONZAMB. *c.3.* §.7. Præterea cum Familiis illuſtribus ampliſſima tribuantur commoda, jura ac privilegia, iisque, qui eminentioris ſunt Proſapiæ, plùs ultrò concedi ſoleat, ac qui humi repunt, quibusve aliàs obſcuro loco naſci contigit; ità quoque hac in parte eam præ cæteris prærogativam quandam obtinuiſſe probabile eſt. Quamvis enim illuſtris generis Nobilitas ad obeunda Officia Eccleſiaſtica non adeò grande momentum afferre videatur, & vel modica Generis ingenuitas, aut nativitas utcunque probata, ritibus, quos præſcripſerat antiquitas, ſufficere potuerit: altioris tamen indaginis res eſſe cœpit, poſteaquàm perſpectum fuit, nobiliſſimas ac pótentiſſimas Familias ad Dignitates Eccleſiaſticas adſpiraſſe, in tantùm, ut deinceps illæ, jus iisdem fruendi, quaſi in ſe tranſcriptum cenſuerint: quo facto plùs unâ vice quæſtas fuiſſe novimus Illuſtrium Familias, plebejos ad illuſtria ea Beneficia admitti, in earum præjudicium. In pluribus

bus tamen Archi- & Epiſcopatibus in obſervantiæ legem abiit, ut, quemadmodum olim in Torneamentis neceſſe erat, Nobilitatem ex quatuor Avis Paternis probare, BOECLER. *Not. Imp. l. 10. c. 1.* ità quoque in Superioribus Canonicorum Collegiis, ſeu Eccleſiis Cathedralibus rigidè cautum fuerit, nequis in illarum quampiam reciperetur, qui non natus illuſtri proſapiâ, quive quatuor, aut octo, aut plures generationes ex utroque latere absque defectu Nobilitatis demonſtrare non poſſet, *daſs er von Vatter und Mutter, und deroſelben Gros- und Elter-Mutter, von Alters her ererbten Helm und Schild völlig aufzulegen habe.* BECKMANN. *Doctr. Jur. verb. Nobilitas. p. 397.* COCCEJUS *Jur. Pub. Prud. c. 31. §. 17.* Quod ipſum & hodie in Eccleſiis Metropolitanis, quales ſunt Moguntina, Monaſterienſis, Bambergenſis, Herbipolenſis, & complures aliæ, nullatenus negligitur.

§. XL.

Neque ullo modo aſſentire poſſumus MONZAMBANO *de Stat. Imp. R. G. c. 8. §. 9.* qui Beneficia Eccleſiaſtica, Familiis illuſtribus percipienda, penitùs denegat, dum ait: *illis à quibus ſacra bona profecta de iſthoc, quod per eadem procurando, ne per ſomnium quidem cogitatum fuiſſe, cum ne in eo fine ſacrum quidpiam deprehendatur.* Et paulo poſt: *poſtgenitis ſuppetere bello & pace media, rem & famam quærendi.* Quamvis autem adeò præcisè dici nequeat, Illuſtrium Familias, è quarum bonis donatis vel legatis tam fœcunda alluvio acceſſerat opulentiæ Eccleſiarum, finem iſtum mente agitaſſe, quo ſuis impoſterum aliquid eſſet, quod honeſtam ſuſtentationem, in ſplendorem ſuarum Familia-

Digitized by Google

miliarum conſervandum, ſuppeditaret: quodſi tamen ex communi hominum affectu rem metiri velimus, pronunciandum foret, non iſtos arcere voluiſſe poſteros ſuos à fructibus bonorum, ad quæ iis facilior & juſtior præ cæteris acceſſus competeret. Ad Martem verò ut adeò temerè proſiliret, nemini autor forem, cùm experientia doceat, vileſcere ſæpius cultiſſima ingenia, hiſce laboribus circumacta; inſuperque rem eſſe periculorum plenam, tædiique feracem, nemo non intelligit. Imò condonandum eſt iis, vel potiùs laudandi ſunt, qui amant in pace ſervire Deo, & exinde reditibus ex bonis Eccleſiaſticis frui, quàm multis ærumnis eosdem vel partiores parare. Et quid demum evadet, ſi omnes id, quod hodie unus vel alter petit, efflagitent, certè non reſtabunt Reipublicæ media, quibus ſingulis honeſtâ, quâ par eſt, conditione proſpicere poſſit: *non omnes enim*, quod ait Cicero, *Patricii eſſe poſſumus.* Salſa autem ſunt maria, quæ emetiri, aut alienos terrarum tractus hoc fine adire, non omnibus æquè arridet, quod peregrinationes crumenæ & valetudini & vitæ ſæpiùs inſidias ſtruere ſoleant. Quare non pauci, etiam qui noviores doctrinas amant, criminantur Lutherum & Calvinum, quod illi tot Epiſcopatuum, aliarumque Eccleſiarum Sæculariſationibus anſam dederint, proinde numeroſæ Nobilium proli honeſtam & congruam vivendi occaſionem & ſuſtentationem ſubtraxerint.

§. XLI.

Supereſt, ut de Fœminarum quoque Illuſtrium Juribus, quæ ad Splendorem earundem conſervandum, tuen-

tuendamque illuſtris Sexûs ſequioris dignitatem tendunt, nunc deſpiciamus. Quamvis enim nomine Familiæ ſtrictè tali non contineantur fœminæ, MENOCH. *4. præſumt. 88. n. 5.* & inde in Regnis ac Principatibus à ſucceſſionibus regulariter excludantur, nec niſi expreſſa lege, aut conſuetudine, ad ſucceſſionem eas vocante, admittantur, PUFFENDORFF. *de J. N. & G. 4. 11. 8.* BESOLD. *1. Diſſ. Nomicop. 11, n. 2. & 5.* ne aliàs Regna & Principatus per fœminas ad extraneum devolvantur. KNIPSCHILD. *de Fideicomm. Fam. Ill. c. 6. n. 61. & c. 8. n. 185. ſeqq.* nec in iis Legitimæ ratio habeatur, cum talis diviſio non probetur, qualis inter plebejos juxta regulas juris civilis obtinet. LIMN. *ad A. B. c. 25. pr. Obſ. 2. 3. & Obſ. 6.* §. 2. SPRINGSFELD. *de Apanag. c. 8. n. 39. ſeqq.* MONZAMBAN. *de Stat. Imp. R. G. c. 2. §. 12.* Antiquo tamen Familiarum illuſtrium uſu, tuendæ quoque fœminarum dignitati, & ſplendori conſervando, variis modis proſpectum eſt. conf. LUDOLPH. *in tract. de Jur. Fœminarum illuſtrium.*

§. XLII.

Ac primò Fœminis illuſtribus, & quidem filiabus, per maſculos à Succeſſione excluſis, Dos è Territorio, ſive ex Domanio, ſive ex Collectis, ubi receptæ ſunt, adeoque à quocunque Succeſſore congrua debetur, ut hæ ſcil. honeſtam, & dignitati Familiæ non diſconvenientem, nubendi conditionem inveniant, *l. 2. ff. de jur. dot.* & dicitur vulgò *Fräulen-Steuer.* vid. SPRINGSFELD. *de Apanag. c. 12. n. 31. ſeqq.* Congruitas autem Dotis generaliter æſtimatur, vel ex mente paciſcentium, qui ubi de certa quantitate convenerunt, ea omninò

308
Digitized by Google

pro ſufficienti habebitur; vel ex juris morumque præſcripto, ubi Dotis quantitas juxta facultatem dotantis, numerum liberorum, dignitatemque tàm ejus, quàm mariti, cui filia jungitur, æſtimanda eſt: MANTIC. *de tac. & ambig. convent. l. 12. tit. 21. per tot.* regulariter quidem Dos, à Patre conſtituta, congrua præſumitur,ità ut filia iſtâ contenta eſſe cogatur, nec ad ſupplementum agere poſſit. MVSCVLVS *de Succeſſ. Convent. Memb. 1. Concl. 5. n. 215.* Solet tamen non raro quantitas Dotis Statuto vel Conſuetudine definiri; hinc plerumque in Illuſtrium Domibus certa quantitas Dotium definita eſt, prout de pleriſque Germaniæ noſtræ Principatibus teſtatur Illuſtris Dn. DE SECKENDORFF. *in Teutſchen Fürſten-Staat p. 2. c. 7. §. 26. n. 5. & §. 30.* LIMN. *ad A. B. Obſ. 5. & 8.* & Apanagio ferè minor eſt; PAC. OSNAB. *art. 4. §. 12. 15.* quo caſu ſufficit, ſi determinata ſumma filiæ ſolvatur, quâ contenta eſſe debet. BETSIVS *de Pact. Fam. Ill. c. 8. p. 363.* Reipublicæ ſiquidem intereſt, ne Dos nimis ampla conſtituatur, ne Principatus ità onerentur, aut maxima eorum pars abſorbeatur. MVSCVL. *d. l. n. 127.* Ex feudis tamen privatis regulariter nulla Dos debetur, niſi in ſubſidium, & non ſufficiente allodio, STRUV. *Synt. Jur. Feud. c. 46. def. 18.* quæ inſuper Dos recipitur finito matrimonio ex feudo mariti ab ejus Succeſſore; præſumitur enim in rem feudi verſam eſſe, niſi ſit in allodio, aut probatio in contrarium extet. HYPOMN. *Feud. tit. pen.* Præterea Dotis petitio, quamvis filia Succeſſioni, aliàs ſibi debitæ, renunciaverit, nihilominus ſalva & integra manet, Dotis enim cauſa admodùm favorabilis, & in ambiguis

Digitized by Google

biguis pro Dotibus reſpondere, melius eſt. *l. 2. & 70. ff. de jur. dot.* niſi donandi animo renunciaverit. MEV. *ad Jus Lubec. p. 2. tit. 1. n. 68.* Siquidem renunciatio, etiam planè nullâ acceptâ Dote, fieri poteſt, factaque hoc modo ſubſiſtit: nec Dos eſt de ſubſtantia nuptiarum, nec datio ejus juris naturalis, aut abſolutæ neceſſitatis, ſed juris tantummodò poſitivi. ZIEGLER. *de Dot. Eccleſ. c. 4. §. 10. & 11.*

§. XLIII.

Secundò Donatio propter nuptias, *Gegenvermächtnis, Gegenſteuer*, quæ in ſecuritatem ac remunerationem Dotis illatæ, à marito uxori conſtituitur, ut eò magis cautum ſit uxori de Dote, ſoluto matrimonio, recuperandâ, ſi forte à marito conſumpta, aut alio modo dilapidata fuerit. *l. 19. C. de Donat. ant. nupt.* Ex eâ fœmina non acquirit dominium, nec poſſeſſionem, nec fructus, VINNIVS *§. 3. n. 4. Inſt. de Donat. l. 29. in f. ff. de Jur. Dot. l. 29. C. de Jur. Dot.* quæ omnia apud maritum remanent: ſed tantùm ſpecialem hypothecam, vi cujus maritus res propter nuptias donatas, ſi immobiles ſint, alienare, & oppignorare prohibetur, ipſa verò uxor utiliter eas vindicare poteſt. *d. l. 29. C. de Jur. Dot. & Nov. 61. c. 1. §. 1.* MEV. *P. 1. Dec. 173. n. 10.* Hæc autem Donatio regulariter Doti æqualis conſtituitur per *l. 32. §. 14 ff. de Donat. int. vir & uxor. & l. 7. §. 2. ff. eod.* & inſuper, Dote auctâ, augetur. GOLD. *Collect. Conſuet. Germ. p. 1. tit. 9. §. 1.* At licet moribus hodiernis non ampliùs attendatur iſta Dotis & Donationis propter nuptias æqualitas, ità ut Donatio propter nuptias etiam major Dote conſtitui poſſit, ùt ſentit

tit GLOSS. *in Auth. æqualitas C. de pact. convent.* & ſic diſparia circa hanc rem pacta admittantur, imò & cuilibet ferè, matrimonium contrahenti, liberum ſit, Donationem propter nuptias uxori conſtituere pro lubitu per ea, quæ tradunt GAIL, *2. Obſ. 78.* CARPZ. *p. 2. c. 42. def. 1.* RITTERSH. *ad Nov. P. 5. c. 1. n. 7.* Abſit tamen, ut Donationem propter nuptias ab uſu receſſiſſe dicamus, ut eam potiùs quàmplurimis in locis adhuc obtinere probemus. vid. CARPZ. *P. 4. C. 21. def. 3.* Soluto finitoque matrimonio Donatio propter nuptias ad maritum, Dos ad uxorem redit, *c. f. X. de Donat. int. conj. & d. l. 29. C. de jur. dot.* & dicitur *der Rückfall,* niſi hæc jura pactis, aut Dotalitii conſtitutione, aut alio modo circumſcripta ſint, Quodſi verò fœmina ex pacto lucretur Donationem propter nuptias, marito quoque ſuperſtiti Dos illata relinquitur. KOHL. *qu. 9. n. 19.* Reliqua jura Dotium & Donationum propter nuptias patent ex jure privato.

§. XLIV.

Tertiò Morgengaba, vid. BESOLD. *voc. Morgengab.* WEHNER *h. v.* quæ eſt Donum matutinum à marito in conjugem gratuitò tempore primi concubitûs, ſeu conſcenſionis Thalami collatum. Qualis Donatio, ex communi Germaniæ conſuetudine, præſertim inter Familias illuſtres recepta & valida eſt, SICHARD. *ad rub. C. de Donat. ant. nupt. n. 12.* WEHNER *l. c.* nec hæredes mariti eam repetere poſſunt. Unde quidam acceptam à ſorore, commodato, catenam auream ſponſæ in Morgengabam donaverat, poſt nuptias verò impetravit, ut ſorori eam reſtitueret, promittens, ſe ei aliam

Digitized by Google

aliam ejusdem valoris quamprimùm daturum, vel pretium ejus ſoluturum; marito autem paulò poſt defuncto hæredes ejus, à viduâ conventi, promiſſum ſolvere recuſarunt; ſed contrarium reſponſum, & ſolutionem ipſis injunctam fuiſſe, refert MOLLER. *lib. Semeſtr. cap. 32. n. 1.* Nec tamen debetur Morgengaba, niſi conſtituta & probata, nec præſtatio ejus, quod in eandem deductum, ante concubitum exigi poteſt, ſufficit tamen, ſponſum & ſponſam thorùm conjugalem ingreſſos fuiſſe, BERLICH. *P. 3. Concl. 25. n. 33.* etiamſi copula carnalis non acceſſerit; id quod non ſolo jure Saxonico receptum, vid. SPEC. SAX. *lib. 3. art. 45. & l. 1. art. 45. verb. Sie iſt ſein Genoſſin, und tritt in ſein Recht, wann ſie in ſein Bette tritt:* ſed & totius ferè Germaniæ uſu approbatum, & communis quaſi formula fuit: nam & iisdem verbis id traditur in SPEC. SVEV. *Part. 1. art. 324. verb. Sy mus ſein Genoſs ſeyn, wann ſy an zein Betle gad;* & extra terras juris Saxonici in Germania quoque Superiore plurium locorum ſtatutis id contineri, tradit HENEL. *de Dotalit. c. 4. §. 3. ſeqq.* Solet & non rarò præſertim inter nobiles ac illuſtres Perſonas Appoſitio in lectum, *wann die Braut dem Bräutigam ins Bette beygeſezt wird,* pro ingreſſu thori conjugalis haberi, idque operatur, ut ſi ſponſa poſtea ſubitò, aut poſt aliquod intervallum decedat, ſponſus nihilominus ea, quæ pactis Dotalibus comprehenſa, aut alias ſtatuto vel conſuetudine ſibi debentur, nec ſpecialiter excepta ſunt, lucrifaciat. CARPZ. *P. 3. Conſt. 19. Def. 4. n. 7. ſeqq.* Præſtat itaque Morgengabam Sponſus, & juvenis & viduus, quamprimum

310
Digitized by Google

mùm poſſeſſionem thori nactus ſit, ſponſæ, juveni vel viduæ: MYLER. *Gamolog. Perſon. Imp. Illuſt. c. 16. n. 5. & 6.* ità ut dominium ejus ad uxorem tranſeat, cum pleno jure pro lubitu diſponendi, teſtandique. Hinc malè in pretium & remunerationem defloratæ virginitatis eandem præſtari, quidam aſſerunt.

§. XLV.

Quartò Dotalitium, vid. *c. plerumque X. de Donat. int. vir. & uxor. & c. ex parte X. de For. compet.* quod à nobis Germanis *Leibgeding*, & inter illuſtres *Wittum* vocatur, & eſt uſusfructus uxori viduitatis tuendæ cauſâ conſtitutus. Cum enim ex dictis Conjugum Dotibus multum ſæpe ſplendoris ac augmenti maritorum facultatibus accedat, liberalitati eorum haud inconveniens viſum, ne erga Conjuges nimiùm tenaces exiſterent; quapropter, renumerationis loco, de certis quibusdam penſionibus annuis, ad tempus vitæ, illis proſpicere, jam ab antiquis temporibus conſuevére. CARPZ. *Tr. de Jur. Fæm. Sing. dec. 5. poſ. 8. n. 1. ſeqq.* Aut cum ſoli Dotis fructus tuendæ Viduarum dignitati haud ſufficerent, quam tamen ſalvam eſſe, utriusque Familiæ, tum in qua natæ viduæ, tum in quam nuptæ, intereſſet: utraque aliquid quaſi contuliſſe videtur, illa dotem, quam mortuâ viduâ repetere poterat, remittendo, hæc cùm Dotis, tùm Donationis propter nuptias uſuras quandoque duplicatas præſtando. Quæ duplicis ſortis, Dotis ſcilicet & Antiphernæ, uſuræ quantitatem ejus ferè conſtituunt, quamvis admodùm id variet; hinc cum hæc res conſuetudini potiſſimùm natales ſuos debeat, quidquid dubii circa

eam

eam occurrit, deficientibus pactis ſpecialibus, ex obſervantia loci, moribus, & conſuetudine potiùs, quàm lege ſcriptâ erit decidendum, ità tamen, ut ex jure communi in caſibus dubiis declarationem quandoquè petamus. At licet Dotalitium in rebus omnibus, unde fructus percipi poſſunt, etiam mobilibus, & pecuniâ conſtitui poſſit, HENEL. *de Dotalit. c. 5. §. 4.* ſolet tamen mulieribus magis in prædiis, etiam feudalibus, præſertim inter illuſtres Familias, de Dotalitio proſpici, quibus id juris quaſi approbatum eſt: COLER. *p. 1. dec. 60. n. 9. & 17.* CARPZ. *l. c. poſ. 9. n. 2.* ità quidem, ut nec Succeſſores feudi viduam, à jure petendi Dotalitium, repellere valeant, etſi illorum conſenſus in eo conſtituendo non acceſſerit, imò etiamſi à marito neque promiſſum, neque conſtitutum fuerit. STRUV. *Synt. Jur. Feud. c. 4 th. 9.* HENEL. *de Dotalit. c. 3. §. 7. ubi teſtimonia.* Hæc autem dicta procedunt, modò Dos realiter illata probetur; BERLICH. *p. 2. concl. 50. n. 14.* nec confeſſio mariti de Dote acceptâ regulariter relevat viduam ab onere probandæ illationis contra agnatos, & ſimultaneè inveſtitos, ne licentiæ, agnatos jure ſuo defraudandi, indulgeamus. CARPZ. *p. 2. conſt. 44. def. 10.* HENEL. *d. l. c. 7. §. 10.* ità tamen, ut probatio, in rem feudi verſam eſſe, non requiratur, HENEL. *d. l. c. 5. §. 8.* ſed præſumatur verſa, niſi extet in allodio. *ſupr. §. XLII.* Quodſi tamen defunctus terminos æquitatis, aut ſolitum conſtituendi Dotalitii modum excefferit, & æquo graviùs feudi Succeſſoribus impoſuerit, tunc pacta illa, quatenùs Dotis quantitatem ſuperant, hæredes mariti quidem obligant, ut-

H pote

311

Digitized by Google

pote cum hi factum defuncti præſtare teneantur, *l. 14. C. de R. V.* aliis verò Succeſſoribus feudi in eo, quod ultra æqualitatis rationem, ſeu modum ſolitum promiſſum eſt, non aliter præjudicant, quàm ſi ipſimet conſenſerint. Pariter ac Dote, nec illatâ nec promiſſâ, ſi maritus, id ſciens, tamen conſtituerit Dotalitium, hæredes quidem teneri, certum eſt, HENEL. *l. c. c. 4. ſ. 16.* Aſt agnati feudorum Succeſſores ad id non tenentur, niſi conſenſerint, RENNEM. *memb. 2. diſp. 54. th. 20.* cum regulariter ex facto vaſalli defuncti Succeſſores in feudo non teneantur, neque ipſis invitis, ratione feudi, aliquod onus à defuncto injungi queat. *1. F. 8. 2. F. 52. & 2. F. 55.* WESENB. *Vol. 2. Conſ. 78.*

§. XLVI.

Ne autem, quod in mulierum favorem introductum, in odium & damnum earum degeneret, meritò electione liberâ, & facultate Dotis repetendæ, mulieribus proſpectum eſt. Non enim cogi poſſunt ab Agnatis feudorum Succeſſoribus, ut Dotalitium præciſè acceptent, ſed arbitrio earum relictum eſt, utrum Dotem repetere, an Dotalio contentæ eſſe velint. CARPZ. *p. 2. conſt. 44. def. 2.* BRUCKM. *V. 1. Conſl. 47. n. 127.* Etſi autem de jure hoc optionis liberi Viduæ nihil participent, nec intermiſſâ electione, poſt obitum matris, Dotalitium petere queant, facultas tamen recuperandi Dotem ipſis hoc caſu invidenda non eſt, ne, quæ in ampliſſimum Dotis favorem introducta Viduæ electio, in odium liberorum retorqueatur. CARPZ. *d. l. def. 4.* E re itaque Viduæ erit, ſingulas & ætatis & valetudinis ſuæ circumſtancias probè perpendere, antequàm in alterutro pedem

figat;

Digitized by Google

figat; ſemel enim factâ electione, & altero poſt mortem mariti ſemel acceptato, amplius pœnitere nequit, quidquid etiam incommodi inde ei ſit metuendum. BERLICH. *p.* 2. *concl.* 52. *n.* 4. & *n.* 10. *l.* 4. §. 2. *ff. de leg. comm.* Illud quoque manifeſtum eſt, in compenſationem Dotis Dotalitium hoc eſſe conſtitutum, & electo hoc Dotis actionem extingui, & Dotem abſorberi, niſi pactis aliter cautum ſit. CARPZ. *p.* 2. *conſt.* 42. *def.* 3. *n.* 6. Cum autem jura Dotalitii à natura uſusfructûs dependeant, HENEL. *de Dotal. c.* 8. & 9. hinc quod regulis hujus juris convenit, tutò quoque accommodabitur Dotalitiis, ità ut nec cautione uſufructuariâ mulier vidua ſublevetur in Dotalitio. CARPZ. *l. c. def.* 7. HENEL. *l. c. C.* 9. §. 4. Id quod tamen inter Illuſtres ſaltem uſu non obtinet. MYLER. *Gamolog. Perſ. Imp. Illuſt. c.* 13. §. 12. Pariter vidua cum Dotalitio fructus pendentes à tempore mortis mariti acquirit, uti & fructus ultimi anni non pertinent ad hæredes viduæ, quæ viam humanæ carnis ingreſſa eſt, niſi quatenus ſunt percepti, §. 36. *J. de R. D.* ſed manent feudorum Succeſſoribus; id quod tamen ſecùs jure Saxonico. LANDR. *l.* 3. *art.* 76. *in f.* Quodſi verò vidua ad ſecunda vota tranſeat, uſu ſaltem inter Illuſtrium Domus obtinet, ut viduæ iterum nubenti Dos reddatur, itàque Dotalitium à Succeſſoribus feudorum quaſi redimatur. MYLER. *Gamol. Perſ. Imp. Illuſt. c.* 14. §. 8. Grave enim admodùm foret, novum maritum Principem cum domicilio ſuo in alterius Territorium admittendum eſſe, & ſanè id caveri ſemper ſolet, addique, *Biſs ſie ihren Wittwen-Stuhl verrückt, oder verändert;* ex-

emplumque refert HENEL. *de Dotalit. c. 10. §. 17.* Omnium autem primò in obſervantiam cujusque Domûs Illuſtris eſt inquirendum, videndumque, quid in ea receptum fuerit.

§. XLVII.

Reliqua Illuſtris Sexûs muliebris jura ac privilegia, quæ certis tantummodò & particularibus locis uſitata, vel ex jure communi derivata ſunt, ſeorſim expendere hic ſuperſedemus. Atque hæc, de ſplendore Familiarum Illuſtrium conſervando, in medium adduxiſſe, nobis in præſentiarum ſufficiant, quamvis argumenti illius dignitas uberiorem omninò expoſitionem imperare videatur, quæ omnia tamen pluribus hoc loco proſequi, inſtituti ratio, ne in Tractatum potiùs ſcribendum abeamus, & Diſſertationis Academicæ anguſtiæ prohibent. Itaque portum aſſecuti, nunc vela complicamus, L. B. eâ, quâ par eſt, veneratione rogitantes, ut eos, quos hic cernit, auſus pro ſuâ humanitate & æquanimitate interpretetur, atque excipiat. TIBI verò, Summe DEUS, cujus auſpicio huncce laborem ingreſſi ſumus, pro gratioſiſſimâ ſtudiorum Benedictione maximas perſolvimus grates, majorem in modum rogantes, ut ex altis impoſterum laboribus noſtris benedicas, quo vergant in Patriæ incrementum & Reipublicæ emolumentum; & ità Supremo TUO Nomini ſit

LAUS, HONOR, ET GLORIA IN SÆCULA SEMPITERNA.

POSI-

POSITIONES JVRIS.

I.

Forma hodierni noſtri Imperii Romano-Germanici ex ipſis Imperii Legibus fundamentalibus petenda eſt:

II.

Nec eſt, quod ex regulis Ariſtotelicis formam ejus ſimpliciter metiamur.

III.

Quidquid olim fuerit, Imperium hodie non Succeſſione, ſed Electione defertur: &

IV.

Non niſi Germanus ad Imperii faſtigium eſt admittendus.

V.

Imperatore vivente, etiam invito, ſi neceſſitas urgeat, Succeſſor eligi poteſt.

VI.

Plurium Legatorum, ab Electore ad Electionem miſſorum, unus tantummodò ad conclave admittitur.

313

Digitized by Google

VII.

Legati ad Electionem ab Electore miſſi votum, licet contra tenorem privatæ inſtructionis ſit, omninò ſubſiſtit.

VIII.

Elector in Electione ſibimet ipſi votum dare rectè poterit.

IX.

Ad Electionem Imperatoris non unanimis, ſed majoris tantummodò partis, Collegii Electoralis, conſenſus requiritur.

X.

Coronatio non eſt cauſa, ſed Symbolum adjunctum Regni translati.

XI.

Alienatio rerum Eccleſiaſticarum, ſuis deſtituta ſolennitatibus, etſi juſta ſubfuerit alienandi cauſa, nec tenet in foro externo, nec in foro interno.

XII.

Digitized by Google

XII.

Beneficia, non vacantia, neque conferri, neque promitti poſſunt.

XIII.

Decimæ, quoad ſubſtantiam & materialiter conſideratæ, dantur ex jure Divino: at

XIV.

Conſideratæ formaliter, quoad determinationem partis, juris tantummodò ſunt Eccleſiaſtici; &

XV.

Hoc in ſenſu per conſuetudinem, præſcriptionem, aut privilegium aboleri poſſunt.

XVI.

Oneri præſtandi Decimas ſubſunt quoque Clerici, etiam curati, ex fundis tam patrimonialibus, quàm beneficialibus, antecedenter obligatis.

XVII.

Parochus Decimas in ſua Parochia, & Epiſcopus Jurisdictionem in ſua Diœceſi, ſibi competere aſſerentes, ab onere probandi liberantur.

XVIII.

314

Digitized by Google

XVIII.

Immunitas Localis non Divini, ſed Eccleſiaſtici ſolùm juris eſt.

XIX.

Ex juramento aſſertorio ei, qui ex conditione delatâ juravit, actio datur & exceptio.

XX.

Utrùm actor, qui nihil omninò probavit, aut in probatione defecit, nihilominus reo juramentum deferre poſſit; &

XXI.

Utrùm Teſtamentum judiciale etiam per Notarium aut Procuratorem judici offerri queat: problemata ſunto.

XXII.

Teſtamentum extrajudiciale, paganum, ſolenne, ſcriptum, ſubſcriptione & ſubſigillatione Teſtium carens, quandoque ſuſtinetur.

XXIII.

Legitima Liberis & Parentibus ex jure naturali non debetur.

XXIV.

Digitized by Google

XXIV.

Tutor ſuſpectus, ob culpam latam remotus, non ſit infamis.

XXV.

Tutor à tutelâ delatâ ſtatim appellare nequit.

XXVI.

Pecunia luſtrica, an ad peculium adventitium regulare, anne ad irregulare ſpectet? problema eſto.

XXVII.

Filiusfamilias de peculio adventitio irregulari teſtari nequit, mortis tamen causâ donare poteſt.

XXVIII.

Filius hæreditati paternæ, accedente etiam juramento, renuncians, ex teſtamento Patris ſuccedere non prohibetur.

XXIX.

Filius hæres inſtitutus, & fideicommiſſo gravatus, & Legitimam & Trebellianicam deducit.

315

Digitized by Google

XXX.

Et metus, & dolus, dantes cauſam contractibus, ſive ſint bonæ fidei, ſive ſtricti juris, non reddunt contractus ipſo jure nullos.

XXXI.

Si partim res, partim pretium contractui b. f. interveniat, an Emptio Venditio, anne Permutatio ſit? problema eſto.

XXXII.

Qui per pactum in ſe recipit caſus fortuitos, etiam tenetur de rarò contingenti, imò rariſſimo.

XXXIII.

Redditio pignoris, ſimpliciter facta, tollit quidem nexum pignoratitium, at non debitum principale.

XXXIV.

Redditio chirographi ponit pactum tacitum de non petendo.

XXXV.

Et Clericus & fœmina feuda acquirere poſſunt.

XXXVI.

Digitized by Google

XXXVI.

Clerici in cauſis feudalibus ſubſunt foro feudali, &c.

XXXVII.

In delictis eorum merè feudalibus Dominus directus cognoſcit.

XXXVIII.

Filius rectè exheredatus, feudo tamen privari nequit.

XXXIX.

Domino invito novus Vaſallus non eſt obtrudendus.

XL.

Uti & invito Vaſallo novus Dominus obtrudi nequit.

XLI.

In feudo, filio conceſſo, Pater regulariter ad ſucceſſionem non admittitur.

XLII.

Vaſallus Domino poſteriori contra priorem, neque per ſubſtitutum, ſervire poteſt.

XLIII.

316

Digitized by Google

XLIII.

Vaſallus contra Patrem ſuum Domino auxilium ferre regulariter non tenetur.

XLIV.

Expenſas, ex feudo in funus Vaſalli factas, ſucceſſor feudi repetit.

XLV.

Vaſallus de feudo dubio tranſigere poteſt, ſive transactio tendat ad conſervationem, ſive ad alienationem feudi.

XLVI.

Vaſallus contra Dominum directum ſuum in cauſa criminali, æque ac civili, patrocinari prohibetur.

Digitized by Google